M... ELLANÉE
B
ROMA
VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
34 K
32

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

M.6.68

RESPONSIO ILLVSTRIS, AC REVERENDISS. D. EPISCOPI ALEXANDRINI

Colleg. Rom. Soc. Iesu Cat. Inscrip.

AD EA, QVAE ADVERSVS

contractam ab eo domus Epiſcopalis emptionem ſcripſit Magnificus D. Thomas Gualla Doctor Ticinenſis.

Ex legato Card.lis Toleti.



BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

B S

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E. ROMA

ALEXANDRIAE,

APVD HERCVLEM QVINCTIANVM.

M. D. LXXXI.

RESPONSIO ILLVSTRIS, AC REVERENDISS. D. EPISCOPI ALEXANDRINI

AD EA, QVAE ADVERSVS *contractam ab eo domus Epiſcopalis emptionem ſcripſit Magnificus D. Thomas Gualla Doctor Ticinenſis.*

CVM multis rationibus ſe dicat fuiſſe pleriſq; diebus ancipitem Mag. Doctor Gualla an contra me ſcribere deberet, vna tamen, eaq; præcipua videtur ommiſſa, propter quam non hærendum modò, ſed a ſcribendo omnino videri debuit abſtinendum, quia ſcilicet in eo ſcribendo detractionis peccatum euitare nō poſ=

ſe videbatur: nam cum hactenus neq; à me quam potui maxima cura, ac diligentia adhibita, neq; a pleriſq; pijs, & egregia doctrinæ viris, quos in hac re conſului, præſertim verò ab Excellentiß. Doctore NAVARRO notæ probitatis, & doctrinæ viro, re ipſa cum ijs, quæ illi adiacent vndequaque circumſpecta, aliqua omnino ratio peccati fuerit agnita, & apud alios, qui rem ipſam non ita exactè nouerunt ordo iuris ſeruatus, & duplex; auditis partibus, Senatus Excellentiß. ea in re ſequuta ſententia, & tanti viri iudicium, omnem peccati ſuſpicionem excluſerint: nunc autem cum ſcriptis publicè impreßis, rationibus à me poſtea diluendis, perſuadere conetur, non quenlibet, ſed (quod grauius eſt) Epiſcopum in graui crimine eſſe; ſiue falſa, ſiue vera ſit eius ſententia, detractionis peccatum euitare non poſſe videtur: ſi enim falſa eſt, quod ego non dubito, in eo Epiſcopi famæ detrahit, quòd non modo quærit vbi nullum eſt peccatum, ſed alios etiam allatis rationibus, vt hoc de Epiſcopo credant, perſuadere conatur: ſin autem vera eſt, in eo detrahit, quòd culpæ rationem hactenus à viris etiam doctiſſimis non agnitam detegit, idq; ſcriptis publicè impreßis, vt, quantum in ſe eſt nulli homines, nulla omnino ætas, ad quos impreſſa illa ſcripta peruenire poterunt, de catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo id ignorent: quod manifeſtius comprobari poterit, ſi, quæ ad de-

tractionis

tractionis rationem ex Theologorum ſententia ſunt neceſſaria, perpendantur: hæc autem tria ſunt, vt docet S. Thom. ſecunda ſecundæ q. 73. ar. prim. Anton. 2. p. tit. 8. c. 4. §. 1. Sot. lib. 5. de Iuſt. & Iur. q. 10. ar. 1. Sylu. & Angel. aliijq; ſummiſtæ in ver. detractio: quorum omnium primum eſt alienæ famæ denigratio, quæ ex huiuſmodi publicè ſcriptis omnino ſequi videtur: multi .n. rei ipſius, de qua agitur, prorſus ignari, impreſſa hæc ſcripta legentes, & factum probe ſicuti eſt non cognoſcentes, malam ex ijs ſcriptis de Epiſcopo opinionem, tamquam grauis criminis reo, concipient: quod an ita ſit prudentis cuiuſq; iudicio relinquitur iudicandum. Secundum quod ex prædictorum ſententia ad detractionis rationem pertinet, eſt, vt clam eo fiat, de quo agitur, quod magis hac in re verum eſt, quàm optandum: mihi enim ſummopere optandum erat, quod et Propheta Dauid optauit, vt corriperet me iuſtus in miſericordia: hoc autem quo nam pacto fieri debeat docet Chriſtus Dominus Matt. 18. Si peccauerit, inquit, in te, (hoc eſt te ſciente, vt pleriq; doctores interpretantur) frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: hac autem in re contra accidit, cum nullum, vt ego arbitror, ſit peccatum, ſcriptis publicè editis me prorſus ignaro de me agitur, tanquam de grauis criminis reo, & niſi me Reuerendiſſimus Epiſcopus Papienſis de hac re monuiſſet

literis ad me datis, & eorum, quæ ſcripta, & im-preſſa erant exemplo miſſo, nunc etiam rem ipſam prorſus ignorarem: eoq; manifeſtius hoc oſtenditur, quòd ſe dicit prædictus Doctor ex meis literis ad Reueren. Regularem Presbyterum Bonauenturam datis, quæſitum eſſe, vt hac in re ſuam ſententiam diceret, quod poſtea, cum de hac re agetur, oſten-dam quàm parum valeat ad illum, quòd hac in re ſcripſerit, excuſandum: interim tamen huc illud aſ-fertur, vt oſtendatur eum, ſi quid hac in re à lege Dei putaret alienum, ex eiſdem literis perſuaderi debuiſſe, vt me ipſum ſecreto potius moneret, quàm ſcriptis publicè editis, & impreßis tamquam crimi-nis reum inſectaretur: hoc enim inauditum videtur, quòd ædantur ſcripta ad conſcientiæ forum pertinen-tia, eo, de quo agitur, prorſus ignaro, tantum vt mos geratur illis, qui ſcribentem ipſum, vt de alio in materia peccati ſcribat, mercede conducunt. Neq; ego literis meis vnquam huiuſmodi cenſorem quæ-rendum putaui: mihi enim ille morum meorum cen-ſor, & arbiter optandus ſemper, & quærendus eſt, quod & hac in re præſtiti, qui charitate du-ctus, non qui mercede conductus ſuam ſententiam dicat. Tertium quod ad detractionis rationem per-tinet, eſt intentio famam alienam lædendi, quam in hac re, de qua agimus, adeſſe cognoſcet quicunq; non ignorat, quæ à fratribus, pro quibus prædictus D.

Doctor

Doctor ſcribit, in proprium Epiſcopum acta ſunt, quorum oblocutiones vt aliquando ceſſarent, publicè edenda curaui quæ Excellentiſſimus Doctor Nauarrus hac in re ſcripſerat; vt hac ratione ſeries facti, & iudicium tanti viri legentibus innoteſceret, ne quis oblocutionibus amplius locus eſſet; at cum nihil ſe verbis proficere poſſe viderent, alia ratione id ſunt aggreßi, eòq; grauiori, quò grauius famam ſcripta, quàm verba lædere ſolent: ad hoc autem peragendum, cum parum ſufficere videretur quod proprio labore congeſſerant, prædictum D. Doctorem adhibent, vt eo adiutore vſi res illis ex animi ſententia cæderet, qui præſto in ſubſidium adfuit, ne voto hac in re penitus exciderent. Hæc autem detrahendi intentio manifeſta erit, ſi finis publicè edendi impreſſa ſcripta illa indagetur. Quo enim publica illa impreßio, niſi ad detractionem tendere poterit? quicunq; .n. alius fuiſſet finis, illum ſine publica impreßione conſequi poterant, impreßio verò eò tantum tendere videtur, vt omnes norint, qui ſcripta legerint, Epiſcopum in peccato eſſe. Quod ſi Cham iuſte in ſcriptura repræhenditur, quòd patris verenda detexerit, eò iuſtius reprehenſione digni videntur, qui patris ſpiritualis peccata detegere conantur, vel, cum non ſint, vt eſſe credantur, ſcriptis, & rationibus enituntur; quò verenda magis ſunt animi quàm corporis pudenda. Comprobatur hoc idem

alia ratione, quia qui detrhait verbo plerunq; leuitate magis, quàm data opera lædit, ſcripta verò non excogitata modo, ſed quantum ex tempore, quo prædictus Doctor hoc eſt aggreſſus, colligere licet elaborata, nullam leuitatis, & defectus plenæ deliberationis excuſationem relinquunt: Hæc autem detrhaendi intentio non eſt adeo neceſſaria ad hoc, vt actus alicuius alienam famam lædens ſit peccatum, vt, ſi deſit, ceſſet ratio peccati, nam licet illa quandoq; deſit, læſio nihilominus alienæ famæ in re graui peccatum mortale erit, vt recte docent S. Thom. & Sot. alijq; Doctores locis citatis. Quare licet ſe diceret prædictus Doctor ab ea famæ ledendæ intentione alienum fuiſſe; peccatum tamen videtur euitare non poſſe, ex quo peccato reſtitutioni redditur obnoxius. Hæc igitur erat ratio præcæteris ab eodem doctore priusquam ſcriberet animaduertenda, ne in eo quòd ageret de reſtitutione, reſtitutioni redderetur obnoxius, eòq; præſtantioris boni, quò melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, cum præſertim rationes vtrinq; ab eo allatæ, quibus ſe dicit ancipitem extitiſſe, an de hac re ſcriberet, eiuſmodi ſint, vt quæ ab hoc ſcribendi genere diſſuadere videntur, oppoſitis, quibus ſe motum dicit ad ſcribendum, præferendæ videantur, vt ex earum inuicem collatione videri poteſt.

Harum omnium prima illa eſt, quod cum ipſe Im-

Cæſareum

Caſareum profiteatur, hanc prouinciam Theologis, ad quos potius, quàm ad alios, eorum, quæ ad conſcientiam pertinent, iudicium ſpectat, cedere debebat ex authoritate Ange. conſ. 181. Hæc inquam ratio prædictum Dominum Doctorem à ſcribendo eo, quod ſcripſit, debuit amouere; Theologis .n. debuit relinquere quæ ad forum conſcientiæ pertinent, vt recte ait Pariſ. conſ. 67. nu. 34. & ſeq. lib. 4. Et quamuis prædictus Doctor nonnullas afferat rationes vnde perſuaſus videtur ad hanc rem in foro conſcientiæ tractandam, illis tamen, mea quidem ſententia, moueri non debuit ad ſcribendum.

Prima enim ratio eſt, quòd pleriſq; in locis legum humanarum doctores, ea, quæ ad forum conſcientiæ pertinent, diligenter in caſibus etiam magni momenti videt attigiſſe; quod dicimus à pleriſq; illorum obiter fieri, non ex profeſſo; agentes enim de rebus ad propriam facultatem pertinentibus nonnunquam interſerunt dubitationes ad forũ conſcientiæ pertinentes eaſdemq;, ne inſolutas relinquant, hac ratione tractant, ſumptis etiam à Theologis ſoluendi rationibus: ſi qui autem de rebus ad forum conſcientiæ pertinentibus ex profeſſo quandoq; agunt, ij vel ſunt in Theologia verſati, quales noſtra ætas plurimos habet, & ea tractant tanquam Theologi, vel ſi ſunt ea facultate deſtituti, nulla ſunt imitatione digni: vix enim fieri poteſt, vt ſine errore tractent

quæ ad alienam pertinent facultatem. Neq; vero ſuffragari videtur quod dicit Ang. conſ. 181. recte illum agere, qui conſulit Iuriſperitos in foro conſcientiæ: planè enim ibidem fatetur queſtionem illam ad ſe non pertinere, ſed ad Theologos: quia verò factum pendebat ex teſtamentis, quorum ibidem fit mentio, & eorundem interpretatio ad Iurisperitos pertinet, in eo recte agi dicit quòd peritus in ſua facultate conſulitur; quod etiam de Medico in propria facultate dicendum eſſet: tuta enim conſcientia in graui corporis infirmitate non ommitteretur conſilium, & auxilium Medici, cum tamen ad eius iudicium non pertineant quæ ad forum conſcientiæ ſpectant: Hic autem ſuppoſito omni eo, quod pertinet ad forum exterius pro comperto, quæritur an actum ſit contra legem Dei, nimirum contra charitatem, vel contra iuſtitiam, vt eſt virtus ad legem Dei naturalem pertinens, cuius rei iudiciũ ad Theologos, qui legis diuinæ ſunt interpretes, clarum eſt pertinere. Quod autem ex Bal. affert l. fin. C. de Pæn. iud. & c. nihil omnino probare videtur: loquitur .n. ibi Baldus de conſcientia, non cuiuslibet, ſed Iudicis, de qua diſtinctionem illam affert, & cum dixiſſet iudicem non alienam, ſed propriam conſcientiam ſequi debere, allata diſtinctione docet quibus inniti debeat propria Iudicis conſcientia, non immaginationibus, ſed legum rationibus: ex hoc au-

tem

tem quomodo inferatur iudicium eorum, quæ pertinent ad forum conſcientiæ, ad Iuriſperitos pertinere, non video: non enim quia conſcientia Iudicis in propria facultate inniti debet humanarum legum rationibus, ideo cuiuſcunq; hominis conſcientia in quocunq; actu earundem legum rationibus debet inniti, ſed potius legi Dei, quæ eſt humanorum actuum norma. Conſcientia enim, vt recte ait S. Thom. 1. p. q. 79. ar. vlt. & quod lib. 3. ar. 26. eſt quædam applicatio ſcientiæ, ſiue cognitionis ad actum; ſcientiæ verò, & cognitionis nomen latè hic, & minus propriè intelligendum eſt, vt complectitur etiam errorem; ex cuius applicatione ad actum conſcientia dicitur erronea; Duplex autem poteſt eſſe cognitio actui applicanda. Altera vnicuiq; facultati propria in ordine ad finem illius facultatis, & de hac loquitur Baldus, docens Iudicem in propria facultate, vt conſequatur finem, non debere quancunq; cognitionẽ ſuis actibus applicare, ſed eam, quæ legum rationibus innititur; ſed hæc applicatio, ſiue conſcientia ad rem noſtram non pertinet. Altera cognitio actibus noſtris applicanda eſt voluntatis, & legis Dei, quæ humanorum actuum eſt norma in ordine ad Deum, vt eſt Dominus, & etiam vt eſt finis noſter: hæc ſi applicetur actui rectus erit, & conſcientia dicetur bona, ſin minus rectitudine carebit, & dicetur mala: An in ſingulis actibus hæc applicatio inueniatur

Theologi munus eſt, ad quē pertinet diuinam legem interpratari, & de hac eſt quæſtio propoſita intelligenda: quamuis igitur recte dicat Baldus legum rationibus inniti debere conſcientiam Iudicis, ut propriæ facultatis finem conſequatur; nihil tamen hoc facit ad ſententiam prædicti D. Doctoris comprobandam, & licet lex humana, ut infra dicemus, obliget in foro conſcientiæ, cum tamen huius obligationis vis ex lege dei pendeat; huius rei iudicium Theologis eſt relinquendum.

Altera prædicti D. Doctoris ratio, propter quam ſe dixit ancipitem extitiſſe an de hac re ſcriberet, eſt, quia, inquit, extat pro Epiſcopo Excellentiſſimi Senatus Mediolanenſis iudicium, cuius ſententiam ipſe fatetur, quemadmodum fateri debet, fuiſſe iuſtam; ſed in foro conſcientiæ hoc in caſu ſeruari non debuiſſe, propter diſcrimen ab eo allatum ex ſententia doctorum nonnullorum inter forum exterius, & conſcientiæ: hæc autem ratio nihil eum mouere debuit, quia, ſicut latius probaturi ſumus, in facto hoc propoſito nullum prorſus diſcrimen conſtitui debet inter forum exterius, & conſcientiæ, ſed idem debet eſſe utriuſq; iudicium.

Poſtrema deniq; ratio, cur ſe dicit ambiguum extitiſſe prædictus Doctor, eſt, quia agebatur de negocio Epiſcopi, de quo non niſi bene conijciendum, & de eius actionibus, & contractibus recte eſſet dijudicandum

dum, in re præſertim Eccleſiæ non mediocri mea impenſa quæſita: & recte ille quidem ſe geſsiſſet, ſi rationem dignitatis à Deo datæ ita habuiſſet, vt à ſcribendo quod ſcripſit omnino abſtinuiſſet: ſi enim hæc ſine peccato de quocunq; ſcribi non potuiſſent, multo minus ea de Epiſcopo ſcribere licuit, cui non eſſe maledicendum ſæpe ex ſcripturis accepimus: Diuum Paulum Apoſtolum legimus Act. 23. cũ principem ſacerdotum audiſſet iubentem, vt os eius percuteretur, eiq; dixiſſet, percutiat te Deus paries dealbate, ſimulatq; intellexit eum principem ſacerdotum eſſe, dixiſſe, neſciebam fratres quia princeps eſt ſacerdotum; ſcriptum eſt enim: Principi populi tui ne maledicas: atq; alia plurima huc ſpectantia congerit Beatiſs. martyr. & Epiſcopus Cyprianus lib. 3. Epiſt. epiſt. 9. ad Rogationum. Huius rationis Epiſcopalis dignitatis habẽdæ, quare ſit prædictus Doctor oblitus, videamus: quia, inquit, ipſemet Antiſtes ad Reueren. Presbyterum regularem Bonauenturam ſcripſerat, vt etiam iudicium aliorũ ſuper eodem articulo acciperet; quæ ratio tantum abeſt, vt eum commouere debuerit ad ſcribendum eo modo, quo ſcripſit, ut potius ab eo ſcribendi genere omnino debuerit remouere: nam ſi quæſitum ab eo fuerat, meoq; nomine, vt ſuam ſententiam diceret, cur non potius ſecreto me monuit? cur à prædictis fratribus eſt mercede conductus, vt hac de re ſcriberet?

ret ? Certe ſi ea erat ſcribendi ratio , quòd ego ad
prædictum Presbyterum regularem literas dede=
rim , me ignaro contra me ſcribere non debuit . Præ=
terea , ſi cauſa illi erat cum prædicto Presbytero re=
gulari communis , ipſe mihi iam dudum reſponderat
literis ad me datis , quibus eadem ferè diſputationis
capita proponebantur , quæ in hoc impreſſo prædicti
Doctoris ſcripto diſſeruntur , quæ tamen omnia lite=
ris meis allatis rationibus , & doctorum authorita=
tibus parum firma eſſe oſtendi , nec quicquàm ad ea,
quæ ſcripſeram , mihi præterea reſponſum eſt, niſi ab
eodem Presbytero regulari, qui ſe nolle mecum hac de
re amplius agere ſuis literis ſcripſit : & quamuis ego
mittenda curauerim ſcripta omnia , quæ hac de re
apud me erant , ut rei veritas , & facti ſeries exa=
ctè cognoſceretur ; ad me tamen nullo eorum pror=
ſus lecto (vt ad me allatum eſt) mißa fuerunt : ex
quibus omnibus planè mihi conſtabat prædictũ Preſ=
byterum regularem rei huius tractationem, & ani=
maduerſionem prorſus deſeruiſſe , & nolle ſe verbũ
de hac re vllum amplius agere ; quod etiam literis
ad me datis dixit expreßè: ſi igitur cauſa ei eſt cum
dicto Bonauentura cõmunis , eandem ipſe cum præ-
dicto regulari Presbytero deſeruit : quapropter nul=
lus ei relictus fuerat ex literis meis , cur contra me
ſcriberet, excuſationis locus . Huc accedit quòd eun=
dem meo nomine monendum curaui , vt ab huiuſ=

 modi

modi ſcriptis abſtineret; tum quia eius rei, de qua agitur, tractatio non ad ipſum, ſed ad Theologos pertinebat; tum quia ſine peccato hæc fieri non poterant, quod cum multo ante acciderit quàm prædictus Doctor ſcripta hæc edidiſſet, nullus ei reliquus eſt hac in re locus excuſationis. Addit præterea prædictus Doctor, quòd cum ab eo à prædicto Preſbytero regulari ex meis literis quæſitum eſſet, vt ſuper hoc articulo ſincera fide pro veritate ſcriberet, vnus ex fratribus Baratis, qui tunc erat Papiæ, illum adiuit, ab eoq; petijt, vt pro veritate hac in re ſcribere vellet, ſubdens: præſupponendo mihi in facto aliquot eſſentialia negocij iudicio meo, quæ in exemplo impreſſo ad me delato expreſſa nõ fuerant, quæ poſtea ſingula recenſet; hæc autem quàm eſſentialia ſint, & quàm ſincera fide, & pro veritate tractentur, videamus.

Primum illorum omnium eſt, quòd in inſtrumento inter prædictos fratres, & D. Petrum Camillum confecto, appoſitum eſt pactum de obtinenda diſpenſatione. Hic ego à prædicto Doctore quæro, an mihi eſſent in facti narratione omnia, & ſingula inſtrumenti verba exprimenda, aut ſingulæ eius clauſulæ in facti narratione ponendæ: quod credo illum dicturum neceſſarium non fuiſſe. Hoc ſuppoſito, peto rurſus quæ ſit maior ratio huius pacti, quàm aliorum, quæ inſtrumentum continet, exprimendi, quam

ipſe potius afferre debebat, quàm nulla allata ratione dicere, iudicio ſuo pactum illud eſſentiale eſſe ita, vt exprimi deberet. Sed ne nos etiam ſine ratione loquamur, eius pacti vim quantum poſſumus perpendamus: tres .n. tantum rationes eius pacti mihi ſe ſe offerunt animaduertendæ. Prima eſt, vt oſtendatur contractum ipſum abſolutum non eſſe, ſed ex authoritate Senatus pendere, propter quam rationem pactum illud non erat neceſſario exprimendum, quia ex facti narratione, & ex natura fideicommiſſi, & prohibitionis expreſſæ ſatis innoteſcere potuit rem ipſam Senatui reſeruatam eſſe, & ex eius authoritate pendere, quod optime nouit Excellentiſſimus Nauarrus, cum primo reſponſionis capite de hac re diſſeruerit: & ſi hæc quidem ratio attendenda eſſet, pro me tantum faceret; ea enim oſtenditur contractum ea conditione initum eſſe, vt Senatus authoritate confirmaretur, quod tamen factum non eſt; imo eam conditionem intelligendam eſſe in quocunq; alio actu, in quo de re ſuperioris authoritati ſubiecta agitur, docet gloſ. in c. Conſtitutus, de reſcript. Altera, quæ mihi occurrit ratio in prædicto pacto conſideranda, eſt, vt D. Petrus Camillus polliceretur non ſolum venditionem, ſed etiam omnia eius media neceſſaria, quantum in ipſo erat præſtanda, propter quam tamen rationem pactum ipſum non erat neceſſario exprimendum: ſatis

enim

enim conſtare poterat, eo quòd ipſe promiſerat in inſtrumento facere illum debuiſſe quod in ſe erat, vt prædictis fratribus ſatisfaceret, quod etiam præſtitit, vt inferius exactius oſtendam. Huc accedit quòd ego in mea narratione dixi petitam fuiſſe à D. Petro Camillo diſpenſationem. Tertia & vltima ratio, quæ mihi occurrit conſideranda, eſt, vt ad D. Petrum Camillum pertinerent ſumptus obtinendæ diſpenſationis; & hanc puto eſſe germanam eius pacti rationem, quemadmodum patet verba ipſius pacti conſideranti, quæ ſunt hæc. Più promette eſſo Sig. Cane ottener dall' Eccellentiß. Senato la diſpenſa della vendita di detta caſa à tutte ſue ſpeſe. Quibus verbis manifeſte oſtenditur ratione ſumptus, & impenſarum partes hoc pepigiſſe: cætera enim, quæ poſtea dicuntur de ſuppoſitione bonorum pro re vendita, ex natura rei fideicommiſſo ſubiectæ conſequntur, vt cautum ſit ſubſtitutis: Quàm igitur hoc pactum eſſentiale ſit, & an neceſſario fuerit exprimendum, iam clare liquet.

Alterum, quod eſſentiale dicit, & in facti mei narratione non expreſſum, eſt, quòd obtenta fuerit diſpenſatio, & adhibitus conſenſus vocatorum ad fideicommiſſum, prius quàm ego quicquam hac in re facerem, cũ tamen ego contrarium dixerim in facto Doctiſſimo Nauarro propoſito, quod prædictus Doctor uiderat. Ad hoc mihi prædicto Doctori di-

cere ſufficeret ; ille , pro quo ſcribis , hoc dicit , Epiſcopus autem oppoſitum aſſerit , vtri magis cre=dendum ſit eligas ipſe , ſi tamen ille iam non elegiſſet cui credere mallet , quod quàm candide , & ſincere factum ſit, viderint alij : cum .n. ex meis literis ſe dicat ad ſcribendum pro veritate motum ; tantun=dem mihi ſaltem fidei adhibendum erat , quantum ei , cui fidem adhibuit, niſi forte merces à conducto-re data eiuſdem authoritati tantum ponderis auxit , vt Epiſcopi dignitati eam in fide adhibenda præ=ferendam putarit : Quare cum nullam meis verbis fidem adhibitam videam , rei veritas eſt detegen=da : Falſum omnino eſt quod ipſe doctor præcoſtanti hac in re ſupponit : Ego enim prius precibus in Se=natu Excellentiſſimo porrectis , petieram , vt do-mus venderetur Epiſcopatui , meaſq; preces Sena=tus reſcripto ſuo decreuit partibus inthimandas , & interim nihil innouari debere , ſicut ego factum pro=poſui doctiſſimo Nauarro eo ordine prorſus , quo res geſta eſt : poſtea verò Domini Petri Camilli nomi=ne petita fuit eius , quod ab ipſo cum fratribus Bara=tis factum fuerat , confirmatio , vt patet literis Se=natus ea de re datis: Literæ enim quibus decernebat preces meas partibus inthimandas , & nihil inno=uandum , datæ ſunt die ſexto Iunij . 1579. Literæ verò decreti ad preces Domini Petri Camilli pro confirmatione eius , quod factum fuerat cum fratri-

bus

bus Baratis obtinenda, datæ ſunt die decimo tertio eiuſdem menſis, & anni: quas literas quo ad eas ſaltem partes, quæ ad rem noſtram facere videntur, hìc inſerendas duxi; Literæ igitur ad preces meas datæ ſunt hæ: Philippus Hiſpaniarum &c. Rex, & Mediolani Dux &c. Dilecte noſter; Lecta in Senatu noſtro occluſa ſupplicatione Reuerendiſsimi Epi iſtius Ciuitatis, mandamus vobis, vt exẽplum inthimari faciatis memoratis emptoribus, et venditori, qui ſemel uterq; reſpondeat: mox omnia literis veſtris occluſa ad Senatum noſtrum tranſmittatis, & interim nihil innouari permittatis. Dat. Mediolani ſexto Iunij 1579. Literæ verò datæ ad preces D. Petri Camilli pro confirmatione eius, quod egerat cum fratribus Baratis, obtinenda, qua parte ad rem noſtram faciunt, ſunt hæ. Placuit nobis ſupplicanti morem gerere; ijs itaq; noſtris diſpenſamus ad petitam venditionem ualide deueniri poſſe quo ad præiudicium conſentientium, & etiam hæredum tantum, dicto fideicommiſſo quo ad eos non attento, modo oneri dicti fideicommiſsi ſupponat tot alia bona æquiualentia. In quorum fidem præſentes ſigillo noſtro munitas fieri, & regiſtrari iuſsimus. Dat. Mediolani die decimo tertio Iunij 1579. Ex ijs igitur patet quàm pro veritate rem hanc tractet prædictus D. Doctor, qui ſaltem cum videret mea ſcripta dictis eius, pro quo ſcribit, contraria eſſe, debuit

ſubſtitiſſe, reiq; veritatem antequàm ſcriberet exactè nouiſſe: cum præſertim dicat ſe meis literis motum ad ſcribendum; quòd tamen ego nunquam cogitaui, imò ne id faceret monendum curaui.

Tertium, quod dicit non fuiſſe expreſſum in mea narratione, eſt, quòd ego iam eſſem certior eius, quod Dominus Petrus Camillus cum prædictis fratribus egerat. Hoc autem mirum eſt prædictum D. Doctorem aſſerere, cùm in facti narratione à me propoſita hoc dicam me audiuiſſe, vt patere poterit prædictam narrationem intuenti: Quare igitur me dicit hoc, quod vocat eſſentiale, non expreſſiſſe? At videamus quàm ſit hoc eſſentiale: magnam enim difficultatem eidem Doctori hoc inferre videtur, quia forſaſſe putat me velle vti diſpoſitione legis Quoties, C. de rei vendicat. at, vt aliàs dixi, non eſt mihi opus in contractu aliunde firmo, & ſolido, illius legis refugio: quare non eſt cur tanti fiat hæc cognitio, vt eam inter eſſentialia connumerare debuerit prædictus Doctor, quæ tamen, ſi eſſentialis eſſet, iam ſatis fuerat expreſſa. Viderint igitur qui legunt, quàm ſincere, & pro veritate ſcribat prædictus Doctor.

Quartum apud illum eſſentiale, & à me non expreſſum, eſt, quòd parum, inquit, abfuit quin rixa cum maximo diſcrimine, & ſcandalo inter venditorem, & vnum ex fratribus Baratis, fierent.

Hic

Hic ego certe nequeo non mirari, cum propriam turpitudinem pro ratione adducant. Quid .n. turpius eſt quàm ei velle iraſci, qui, quantum in ſe eſt fecerat, ut prædictæ venditioni locus eſſet? An nō ipſius nomine, poſt preces etiam meas, petita fuit eius, quod cum prædictis fratribus egerat, confirmatio? Et quanuis hoc non conceſſerit Senatus, ſed tantū, ut ad venditionem fiendam valide deueniri poſſet, neq; hoc poſtea factum fuerit, nihil tamen ipſe prætermiſit quod ab eo agendum eſſet, cum præter petitionem confirmationis prædictæ, reſponderit quoq; Excellentiſsimo Senatui, cum ei literæ ad preces meas datæ innotuiſſent, quantum in ipſo erat velle ſe venditionem ipſam valere, ut conſtat ex eius reſponſione, quæ in actis publicis extat: quibus actis, egiſſe illum omnia, quæ in re ſubiecta ſuperioris authoritati, & uoluntati agere debebat, docet glo. in c. Conſtitutus: de reſcript. uer. Iuramento. Quid igitur cauſæ ab eo datum eſt rixæ in eo, quòd ſuperioris mandato obediendum duxit? At illud potius mirandum uidetur, quòd prædictus D. Doctor hoc afferat tanquam iudicio ſuo eſſentiale, & exprimendum. Si enim D. Petrus Camillus non egiſset quod uere egit, & aliqua in eius actibus culpa agnoſci poſſet; quid hoc quæſo faciebat ad obligationem reſtituendi, de qua prædictus Doctor ſcribit, quo expreſſo doctiſsimus Nauarrus aliud, quàm quod reſpon-

dit,

dit, reſpondere debuiſset?

Quintum quod affert eſſentiale, idemq; à me non expreſſum, eſt, quod ego nondum ſoluerim centum octoginta octo aureos, quos Senatus, innixus verbo Domini Iacobi Franciſci Baratæ, ſoluendos eſſe cenſuit: Ad quod dico me centum, et octoginta octo aureos illis nulla ratione debere, quemadmodum ad Illuſtrem Senatorem, qui huic negocio præerat tunc literis meis oſtendi; cum enim capita impenſarum ſingula prædictus D. Iacobus Franciſcus poſuiſſet, pleraq; poſuit capita indebita, & à veritate aliena; et hoc quod de aureis illis dicit D. Doctor adeo verum eſt me non debere, vt neq; in foro conſcientiæ, neq; in externo eius vere ſim debitor: quod enim decretum fuit, propter dictum ſolius partis eſt decretum, ſicut patet legenti ſententiam ipſam: Quare cum, quæ ſupponuntur tanquam vera, ſint à veritate aliena, in neutro foro ſubſiſtere poſſunt; in exteriori quidem, quia non præceſſit, quæ hac in re præcedere debebat diſcuſſio; in interiori verò quia rei veritas deficit: At videamus tandem quo nam pacto hoc ſit eſſentiale: hæc .n. de ſoluendis illis aureis ſententia lata eſt poſt plurimos menſes à contracta emptione: quo ſuppoſito; Quid opus erat hoc exprimere vbi quærebatur tantum de contractu emptionis, an eſſet aliqua ratione contra legem Dei?

Et

Et quidem quod ad impenſas, quæ verè debentur, et iuſtè, ego literis meis ad Senatorem, qui huic negocio præerat, datis, obtuli duplum me ſoluturum eius, quod vere debeo; velle tamen me in expendendis ſingulis capitibus impenſarum à prædicto Doctore Barata poſitis, legitime audiri, quòd ſi quid poſtea iuſte me debere iudicatum fuerit, duplum me ſoluturum: hoc etiam eidem D. Baratæ offerendum curaui ab Archipresbytero Eccleſiæ meæ Cathedralis, & ab eo petij, vt amicis communibus capita illa expendenda proponerentur, meq; ſoluturum promiſi duplum eius, quod ſoluendum iudicaſſent: cui tamen meæ petitioni nunquam ipſe voluit acquieſcere.

Sextum, & vltimum caput eorum, quæ vocat eſſentialia, eſt, quòd ego non ſolui trecentum libras prædictis fratribus, ſicut Senatus decreuit. Et certe hoc omnium maxime mirandum videtur: Senatus n. nunquàm (quod ego intellexerim) decreuit me trecentum illas libras ſoluere debere, quod quò pateat euidentius, ipſum Senatus decretum ad verbum hic ponendum duxi, quod eſt hoc, videlicet. Philippus Hiſpaniarum &c. Rex & Mediolani Dux &c. Dilecte noſter. Lectis in Senatu noſtro occuluſis precibus Reuerendiſſimi Epiſcopi iſtius ciuitatis, & ſapientis I. C. D. Iacobi Franciſci, & fratrum de Baratis, ac Petri Camilli à canibus nobis iſtinc traſ-

miſſis, venimus in ſententiam, vt fiat venditio dictæ domus Reuerendiſſimo Epiſcopo, modo eam acquirat Epiſcopatui, & vbi habeatur fides de pretio, det laicum in fideiuſſorem, qui ſit idoneus, & promittat memoratum pretium ſoluere venditori, et primo emptori reſtituantur pecuniæ, ſi quas exoluit, & reficiantur ſibi impenſæ à Reuerendiſſimo Epiſcopo occaſione dicti contractus per D. Baratam factæ: itaq; ſic exequamini. Dat. Mediolani die xxvj. Iunij 1579. Huius decreti verba illa, Et primo emptori reſtituantur peccuniæ, ſi quas exoluit, dicunt prædicti fratres, et cum eis D. Doctor Gualla ad me pertinere, et inde dicunt me illis prædictas trecentum libras debere, quia totidem ſe dicunt D. Petro Camillo dediſſe: Ad hoc ego dico q̃d quanuis mihi cõſtaret ſe aliquid dediſſe D. Petro Camillo, quod tamen non conſtat, imò potius oppoſitum, cum in inſtrumento venditionis pepigerint dicti fratres ſe nihil ante ſoluturos, quàm diſpenſatio obtenta eſſet; atq; ideo pateat, cum confectum eſt inſtrumentum nihil fuiſſe ſolutum; tamen illa decreti pars, de eo quod fortaſſe ſolutum eſt reſtituendo, ad me nullo modo pertinere poteſt: reſtitutio .n. hoc in caſu fieri non debet niſi ab eo, qui accepit: ſi igitur D. Petrus Camillus aliquid accepit, eius reſtitutio ad Epiſcopum Alexandrinum pertinere non poteſt; Scio tamen D. Epaminundam Domini Pe-

tri

tri Camilli fratrem paulo poſt contractam à me domus Epiſcopalis emptionem, ex eiſdem nummis, quos à me acceperat, voluiſſe quinquaginta (ſi recte memini) aureos ſoluere prædictis fratribus, quos tamen ipſi accipere noluerunt. Scio præterea anno proximè præterito, cum partem pretij prædictæ domus à me tunc ſoluendam, dediſſem D. Petro Camillo, voluiſſe eundem prædictis fratribus quinquaginta aureos ſoluere, eoq; nomine fuiſſe depoſitos, vt reſtituta de hac re apocha quadam, quæ apud prædictos fratres extat, eis ſoluerentur, quod tamen ipſi hactenus facere noluerunt, ea tantum ratione, quòd à me dicunt has pecunias ſolui debere; ego verò nunquam ſoluendum duxi tanquam debitor, quod clarũ eſt me non debere: accipiant igitur ab eo, qui vere debet, & ſe debitorem agnoſcit, & eas pecunias iam pridem depoſuit. Hoccine igitur erit prædicti D. Doctoris iudicio eſſentiale, vt ego ſoluam quod non debeo, & quod Dominus Petrus Camillus ſe debere fatetur? atq; hactenus de eſentialibus acerrimo prædicti Domini Doctoris iudicio exprimendis, dicta ſufficiant.

Nunc autem ad rem ipſam pertractandam, & ad argumenta à prædicto D. Doctore vtrinq; allata perpendenda, & eiuſdem reſponſiones diſcutiendas accedamus. Quo verò dilucidius rei veritas pateat, diſputationem hanc in tres partes diſtribuendam eſſe

duxi, quarum prima tria complectetur. Primum omnium erit veluti epilogus quidam ſententiæ prædicti D. Doctoris. Secundum diſcrimen inter meam, prædictiq; Doctoris ſententiam, & rei huius difficultatem in quo nam conſiſtat complectetur. In Tertio verò de ſententia mea, eiuſq; comprobationibus agetur. In Secunda vniuerſæ diſputationis parte argumenta pro me à dicto D. Doctore allata, cum reſponſionibus eiuſdem perpendenda erunt. In tertia, et ultima rationes, quas pro ſua ſententia affert, erunt diſcutiendæ.

Quod igitur ad primam partem attinet: ſententia prædicti D. Doctoris ad duas præcipue propoſitiones redigitur. Prior eſt: Decretum Senatus Mediolanenſis, quo domum, de qua agitur, Epiſcopo vendendam eſſe decreuit, modo illam acquirat Epiſcopatui, iuſtum fuit. Altera propoſitio eſt: Iuſtitia decreti illius non obſtante, domum nihilominus Epiſcopus tuta conſcientia retinere non poteſt, ſed eam fratribus Baratis reſtituere debet. Ratio vtriuſq; propoſitionis eſt diſcrimen inter vtrunq; forum, conſcientiæ ſcilicet, & externum, quod plerunq; inuenitur ab ipſo allatum ex ſententia Abb. et aliorū in c. ſignificaſti, il 2 nu. 7. poſt glo. ibi de Homic. et Innoc. in c. Quia propter, de elect. & in c. Sicut dignum, de Homic. & Abb. rurſus in c. 1. de Rapt. in c. 1. de In integr. reſt. & in c. Quia pleriq; de Immun. Eccleſ.

C Fel.

Fel. & Dec. in c. 1. de Conſt. Didac. in Epitome p. 1. c. 4. §. 1. nu. 9. gl. in c. Tua nos, in verſ. Qualiter, de Sponſal. & in c. Quicunq; 17. q. 4. & in c. Fraternitatis, 12. q. 2. Tria autem inter utrunq; forum ex dictis D. Doctoris colliguntur allato diſcrimine. Primum ſumitur ex lege; in foro enim exteriori lex publica attenditur in iudicis ſententia firmanda, in foro autem conſcientiæ lex priuata, publica fortior, cui eſt omnino obediendum. Secundum diſcrimen eſt, quòd exterius forum innititur veritati publicæ, quæ ex actis, & probatis deſumitur, cui tamen quandoq; rei veritas in ſe ipſa eſt cõtraria, innititur etiam legum præſumptionibus: conſcientiæ verò forum rei veritati, ut in ſe ipſa eſt, tantum innixum, fictionibus, & legum præſumptionibus, & falſis probationibus locum excludit. Tertium diſcrimen eſt, quòd in foro exteriori naturalis obligatio non attenditur; in foro verò interiori omnino ſeruanda eſt, etiam ciuilis iuris præſidio deſtituta: quæ quanuis non ſint ipſius D. Doctoris verba, eiuſdem tamen eſt ſententia diuerſis à me uerbis propoſita.

Quod autem attinet ad ſecundum primæ partis huius diſputationis caput; dico me in priori propoſitione cũ eodem Doctore conuenire, quòd ſcilicet iuſtum ſit decretum illud Excellentiſſimi Senatus. Conuenio quoq; in ſecundo diſcrimine allato inter forum exte-

rius, & conſcientiæ; quia clarum eſt plerunq; illud forum inniti legum præſumptionibus, & nonnunquam etiam falſis probationibus: hoc autem rei veritati ſemper inniti. Ab eo tamen in tribus potiſſimum diſſentio. Primum eſt, quod quamuis verũ ſit illud ſecundum diſcrimen; in hoc tamen facto, de quo agimus, neq; illud, neq; alia duo diſcrimina locum habent, ſed idem prorſus eſſe debet vtriuſq; fori iudicium. Alterum in quo ab eodem diſſentio, eſt quod ad obligationem naturalem attinet, cuius nullum vinculum poſt Senatus decretum in D. Petro Camillo manſiſſe non dubito. Tertium & vltimum eſt, quod ex dictis ſequitur, falſam eſſe ſententiam prædicti Doctoris à me in ſecunda propoſitione propoſitam. Ex eiſdem etiam colligitur totam rei difficultatem in duobus conſiſtere: Alterum eſt, an in hoc caſu aliqua remaneat in Domino Petro Camillo naturalis obligatio ex eo, quod cum fratribus Baratis egit: Alterum verò, an in hoc caſu idem cenſendum ſit eſſe debere iudicium fori interioris, et exterioris.

Quod attinet ad tertium huius primæ partis caput ſententiã meã tribus propoſitionibus explicandam, eaſrumdemq; probationibus confirmandam duxi.

Prima propoſitio. In facto, de quo agitur, idem prorſus iudicium eſſe debet interioris, & exterioris fori: ſi enim idem non deberet eſſe iudicium, id eſſet pro-

pter

pter diſcrimina inter utrunq; forum à prædicto Doctore allata; hæc autem nihil obſtant, idem igitur prorſus erit iudicium: at nihil illa diſcrimina obſtare, patere poterit, ſi ſingula perpendantur. Primum illorum omnium ſumitur à lege vtriuſq; fori diſtincta; altera publica, qua ſolet firmari ſententia iudicis exterioris; altera priuata, quæ lege publica eſt potentior, quæ lex conſcientiæ dicitur: qua in re vnum obiter animaduertendum eſſe duxi, quòd prædictus D. Doctor vbi conatur probare iudicium eorum, quæ ad forum conſcientiæ pertinent, ad Iuriſperitos pertinere, dicit conſcientiam inniti debere legum humanarum rationibus, quæ ſunt hæ leges publicæ, de quibus nunc agit, vt patere poterit Baldi verba inſpicienti in alleg. l. fin. C. de Pæn. Iud. iniuſt. iudic: nunc autem in eo diſcrimen affert inter vtrunq; forum, quòd forum conſcientiæ legi publicæ non innitatur, ſed priuatæ, quæ quomodo cohæreant ipſe viderit: nos vero ad propoſitionē noſtram probandam accedamus: ſit igitur in hoc diſcrimine

Primum argumentum propoſitionem noſtram confirmans. Lex illa publica, de qua agit, locum habet, & ſeruanda eſt etiam in foro conſcientiæ, vt ſentiunt Doctores, tam Theologi, quam Iuriſperiti. S. Tho. 1. 2. q. 96. ar. 4. & Sot. lib. 1. de Iuſt. & iur. q. 6. ar. 4. Alphon. à Caſt. lib. 1. de vi, & poteſt. leg. pæn. cap. 4. Sylu. & alij in ver. lex; et

nuperime

nuperime Reueren. Barth. à Medin. in coment. ſuper 1. 2. S. Tho. q. 96. ar. 4. & deniq; eſt communis omnium Theologorum contra Gerſonem. Gloſ. cõiter recepta in c. Quæ in Eccleſiarum, de Conſtit. Abb. & reliqui in c. 1. eod. tit. & in c. Quia plerique. nu. 7. de immun. Eccl. & alibi ſæpe. Bal. in c. In omni. in prin. de Teſtam. in proemio feudorum nu. 6. conſ. 285. col. 1. lib. 3. Iaſ. in l. Nemo poteſt. 2. Lectu. nu. 105. de lega. 1. in l. Poſt diuiſionem nu. 7. C. de Iur. & fact. ignor. Couar. in Epito. 2. p. c. 7. §. 7. nu. 9. Vaſq. lib. 1. Controuerſ. illuſtr. c. 29. Alba conſ. 42. nu. 10. communem dicentes, &, ſi vacaret, oſtenderem plane eſſe hoc maioris certitudinis, quàm opinionis etiam communis, non ſolum de lege Eccleſiaſtica poſt Concilium Vienen. Conſtantien. & Bullam Leonis Decimi condemnationis errorum Martini Lutheri, ſed etiam de Ciuili, teſtimonijs ex ſcriptura allatis id omnino comprobantibus: Hic tamen vnum nõ eſt negandum, humanã legem, quam ille publicam vocat, præſumptionibus nonnunquam inniti, quibus in foro conſcientiæ nullus eſt locus: Sed de hoc mox dicemus. Secundum à prædicto Doctore inter vtrunq; forum diſcrimen allatum, eſt, quod iam diximus, forum exterius. ſcilicet legum præſumptionibus, & falſis probationibus aliquando inniti, quas conſcientiæ forũ excludit, quod quidem diſcrimen veriſſimum eſt, & à me

iam

iam conceſſum.: ſed hinc ſumitur

Secundum argumentum ad propoſitionem noſtram confirmandam. Quoties enim forũ exterius rei dumtaxat veritati innititur, idem eſt ſeruandum in foro conſcientiæ, quod in foro exteriori, Sot. lib. 4. de Iuſt. & Iur. q. 5. ar. 3. in 4. ſuæ ſententiæ argumento, Didac. in c. Cum eſſes. nu. 7. de Teſtam. & Dec. in c. 1. de Conſtit. nu. 19. in fin. vbi optime dicit, quòd ſi in foro exteriori conſtet de veritate contra legis præſumptionem, legis præſumptio relinquitur, et rei veritas attenditur, ſicut in foro interiori; ſubdens, inter utrunq; forum nullum eſſe diſcrimen, niſi quòd in foro interiori facilius habetur veritas, quàm in exteriori, propter quam rationem ſi lex, aut canon certis, & veris, non præſumptionibus innitatur, in vtroq; foro locum habebit, vt ait Bal. in Authen. Ingreßi. nu. mihi 49. verſ. Dubita, tamen C. de Sacroſ. Eccl. & in l. Quidam. §. Illo. C. de Neceſ. ſeru. hæred. inſt. & in l. Cum quis nu. 19. Iaſ. in l. Si poſt diuiſionem nu. 6. C. de Iur. & fac. ignor. & in rub. ff. de acq. hæred. nu. 25. Alciat. in c. Nouit. nu. 38. de Iudicijs. Afflic. in rub. de Iure protom. nu. 7. Fel. in c. 1. nu. 47. iunctis alijs, de Conſtit. neq; hoc negat D. Doctor, imo fatetur in ijs, quæ dicit in quarto pro mea ſententia argumento, vbi hanc concluſionem eſſe receptam, & paßim obſeruatam dicit: in hoc autem caſu hæc

diſcriminis

diſcriminis ratio ceſſat omnino: Senatus enim rei veritate tantum inſpecta, & optime cognita, nullis legum præſumptionibus, aut falſis probationibus motus hoc decreuit, vt ex ipſo decreto patet, & notum eſt omnibus, qui rem nouerunt; ceſſabit igitur hoc diſcrimen, idemq; erit iudicium.

Tertio eadem propoſitio probatur in hoc eodem diſcrimine. Si iudex, & ſuperior veritati tantum innixus iuſte iudicat, & mandat aliquid, authoritate Dei hoc agit, iux. illud Prouer. 8. Per me principes imperant, & potentes iuſtitiam decernunt: ergo ſubditus obedire tenetur, iuxta illud ad Rom. xiij. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationẽ acquirunt: nihil igitur hoc diſcrimen obſtabit, quo minus quod iuſte Senatus decreuit, in foro conſcientiæ ſit obſeruandum.

Quarto in hoc eodem diſcrimine probatur: Si enim iuſtum ſuperioris decretum, & quod legi Dei non aduerſatur, in foro conſcientiæ ſeruandum non eſſet; ſequeretur officium iudicis iuſtum, in Republica Chriſtiana pernicioſum plerunq; eſſe, quia conſcientijs laqueos inijceret; hoc autem abſurdum eſt omnino; illud igitur, ex quo ſequitur, non eſt concedendum: Et certe nequeo videre quonam pacto hæc duo cohærere poſſint, quòd ſententia iudicis veritati tantum innixa ſit iuſta, & ſecundum legem Dei,

& eius

& eius executio iniuſta, & diuinæ legi contraria, quæ tamen iudicio prædicti D. Doctoris cohæret.

Tertium ab eodem Doctore allatum inter vtrunq; forum diſcrimen ſumitur ex naturali obligatione, de qua in ſequenti propoſitione late agendum erit: Quo ad hanc inter vtrunq; forum hoc affert diſcrimen, quòd in foro interiori obligatio hæc ſemper habet locum, in foro autẽ exteriori nulla illius habetur ratio, & hinc ſumitur

Quintum argumentum. Hic enim cum agatur, non de quocunq; iudice fori exterioris, ſed de principe, penes quem tota facultas rei, de qua agitur, erat, aliud dicendum eſt de illo, quàm de iudicibus inferioribus: princeps enim ſecundum cõſcientiam, † etiã ſi iudiciales contrariæ adeſſent probationes, ſententiam ferre debet, aliàs peccaret, vt dicit Bar. in l. 1. in fin. C. Vt quæ deſ. Aduo. par. Iud. ſap. Fel. in c. Paſtoralis. §. Quia verò, nu. 23. de Off. deleg. in c. In cauſis. nu. 2. de Re iudic. Dec. conſ. penult. nu. 16. Couar. var. reſol. lib. 1. c. 1. nu. 7. verſ. Princeps tamen. Iacob. à Santo Georg. in ſua Inueſtit. verſ. Princeps. §. vlt. nu. 2. & ſola facti veritate inſpecta, quam ipſe nouit, iudicare, non attenta iuris diſpoſitione, aut ſolemnitate, Bar. in l. Emilius, nu. 5. verſ. & hoc eſt quod voluit. ff. de minori. Iaſ. in l. Vinum, nu. 24. ff. Si certum pet. §. in bonæ fidei, nu. 45. Inſtit. de action. ſicut Deus indica=

† .i. ſecundũ ſcientiã veritati innixã.

turus eſſet, Bal. in c. 1. §. 1. in fin. de Nou. for. fidel. Dec. in c. Dilecti. nu. 3. & ſeq. extra. de Iudi. conſ. 631. nu. 3. 699. nu. 16. Purpur. conſ. 103. nu. 27. Natta conſ. 502. nu. 11. Neuiz. conſ. 68. nu. 23. Boſ. tit. de Principe, nu. 70. cum ſeq. Menoc. conſ. 92. nu. 81. cum ſeq. lib. 1. conſ. 136. nu. 16. lib. 2. Capha. conſ. 492. nu. 29. lib. 4. prout etiam qui principis vices gerit iudicare debet, Guid. Pap. q. 29. Gram. decis. 62. nu. 29. cum ſeq. Aſflic. deciſ. 283. nu. 6. 361. nu. 13. Alcia. in c. 1. nu. 89. de Off. ordin. Rol. conſ. 68. nu. 17. & 18. lib. 3. Menoc. dict. conſ. 92. nu. 81. cum ſeq. Caph. dict. conſ. 492. nu. 24. Solo iure gentium attento, ſecundum Bar. in extrauag. Ad reprim. ver. Videbitur. nu. 8. & 9. Gram. dict. deciſ. 62. nu. 29. Riminal. conſ. 42. nu. 40. lib. 1. & ideo ſicut in curia mercatorum attenditur naturalis obligatio ea ratione, quod ſola veritate inſpecta procedatur, ſecundum Bar. in l. Quintus. ff. Mandati, & Bal. in l. Si pro ea, nu. 23. C. eod. quem ſequitur Dec. conſ. 7. nu. 3. ita coram principe, & eius conciſtorio ſufficere debet. Caph. in proprijs terminis de naturali obligatione, dict. conſ. 492. nu. 24. & ſeq. lib. 4. quia inquiſitio veritatis, quæ eſt de iure gentium, attenditur coram principe, Natta d. conſ. 502. nu. 11. poſt Bal. quem allegat, in l. fin. C. de legi. & ex ſolo etiam pacto nudo ſecundum præcepta iuris gentium

riſgentium princeps iuſtitiam adminiſtrare tenetur, Alex. in addit. ad Bar. d. l. Quintus. in ver. Argumentum ex iſta lege, poſt Butr. quem allegat in c. Quæ in Eccleſiarum, col. penult. de Conſtit. cum coram eo habeat executionem paratam, Boſ. tit. de Principe, nu. 11. poſt Alex. in l. Iuriſgentium. §. Sed cum nulla, in fin. ff. de pact. et ſecundum ius gentium princeps diſponere poßit, Bero. conſ. 74. nu. 26. lib. 1. & ita naturalem obligationem attendere, quæ iuris gentium dicitur, ſecundum Bal. poſt alios in l. Ex hoc iure. nu. 42. ff. de Iuſt. & iur. l. Tam mandatori, nu. 4. C. de Non num. pecu. per tex. in l. Cum amplius §. Is natura debet. ff. de Reg. iur. atq; ideo princeps debet eandem executioni mittere; quod ſi nõ faciat, peccat, ſecundum Imo. in c. Quæ in Eccleſiarum, nu. 22. & Fel. nu. 57. de conſtit. nullum ergo hac in re inter vtrunq; forum diſcrimen conſtituendum erit; cum præſertim hic agatur de re principis authoritati omnino ſubiecta.

Secunda propoſitio: Ex eo, quod D. Petrus Camillus egit cum fratribus Baratis, nullum prorſus vinculum in eo remanet naturalis obligationis: Ante cuius propoſitionis probationem vnum præmittendum eſt, quod non credo prædictum D. Doctorem negare; quòd ſcilicet res ipſa, de qua agitur, ſit ſubiecta principis poteſtati, eiuſq; authoritati reſeruata; quod nihilominus probatur: ex tex. in l. Legatam. ff.

de Adminiſtra. rer. ad ciuit. pertinen. Pariſ. conſ. 12. nu. 153. lib. 2. Couar. in cap. Tua nos, nu. 7. de teſtam. & quoniam res clara eſt in ea pluribus teſtimonijs comprobanda non immoror. Et ratio ea eſſe poteſt, quia quanuis teſtatoris voluntas in omnibus ſeruanda ſit, legibus, & bonis moribus non contrarijs, nonnunquam tamen cauſæ eſſe poſſent, propter quas ab eo, quod eſt à teſtatore præſcriptum, ſit recedendum, neqs hoc ſit poſitum in facultate hæredis, aut fideicommiſſarij, teſtator autem iam defunctus adiri non poſſit, à quo hæres, vel fideicommiſſarius facultatem impetret à conditionibus in teſtamento poſitis recedendi: reſidet hæc facultas in republica, vel principe, qui propterea adeundus eſt, vt voluntatem teſtatoris, iuſta exiſtente cauſa, diſpenſatione ſua mutet; hoc inquam præmiſſo, dico actum ipſum alienandi contra teſtatoris prohibitionem expreſſam cum cauſa, neq; hæredis neq; ſubſtitutorum fauorem reſpiciente, vt in caſu noſtro accidit, duobus modis conſiderari poſſe: alter o modo ſi fiat abſolute ſine aliqua relatione ad authoritatem principis, & eius poteſtate non reſeruata: vt ſi fieret hic contractus inter partes eo pacto appoſito, vt principis authoritatis nulla habeatur ratio, ſed vel improbet, vel approbet princeps paciſcantur partes uelle ſe in eodem contractu permanere vel contra; ſi fiat contractus ea conditione, ſi princeps

ueps quod factum eſt approbauerit, ad cuius authoritatem, & approbationem omnia inter partes acta referantur. Hac diſtinctione ſuppoſita, quæ eſt ſufficiens, cum eius partes ſint inuicem contradictoriæ; propoſitio probatur. Si enim hic actus alienandi contra teſtatoris expreſſam prohibitonem priori modo conſideretur, nullum ex eo poteſt vinculum naturalis obligationis oriri; quod probatur manifeſte.

Primò quia iniuſtus eſſet, nam cum hæres hæreditatem adit cenſetur quaſi contrahere, & obligari ad ea præſtanda, quæ teſtator mandat in teſtamento; In Inſt. de obligationib. quæ ex quaſi contr. §. hæres, l. Ex maleficijs §. hæres ff. de Actio. & oblig. l. Apud Iulianum, in fi. ff. qui ex ea in poſ. ea. Bal. in Rubr. C. Res inter ali. act. & c. nu. 2. Boer. deciſ. 57. nu. 1. p. 1. & ideo in teſtamento præſcripta ſeruare tenetur l. Facta §. Si in danda ff. ad Trebel. glo. & doctores in l. 1. ff. de His, quæ pœn. nom. & tex. in l. unica Cod. eod. Soc. Iun. conſ. 72. nu. 26. lib. 3. conſ. 68. nu. 9. lib. 4. Pariſ. conſ. 16. nu. 38. lib. 2. & conſ. 2. nu. 31. lib. 3. Rol. conſ. 30. nu. 30. & ſeq. lib. 4. & inde inſurgit debitum legale, quod etiam oritur in legatario, & fideicommiſſario relicta ſibi à teſtatore agnoſcente: legatarius p. & fideicommiſſarius agnoſcens quod ei à teſtatore relictum eſt, ita cenſetur voluntatem teſtatoris approbare, ut leges, & conditiones à teſtatore in te-

ſtamento poſitas omnino ſeruare debeat; quod ſi non præſtet, contra iuſtitiam agere, & teſtatoris voluntatem circunuenire dicetur, l. Si cui. ff. de condit. & demonſtrat. Rol. conſ. 30. nu. 32. lib. 4. hæc autem circunuentio peccatum eſt ex genere ſuo mortale, iuxta illud primæ ad Theſalon. 4. Ne quis ſupergrediatur, vel circunueniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Deus de ijs omnibus: & cum reliqua ibidem connumerata ſint peccata mortalia, idem de hoc dicendum erit; cum præſertim Deum dicat huius peccati uindicem: vindicta enim non exercetur in filios, ſed in inimicos, iuxta illud Hier. 46. Vindictam retribuet inimicis ſuis: non ergo poterit eſſe debita naturalis obligationis materia.

Secundò, Cum teſtator domum ipſam, de qua agitur, reliquerit ea conditione, ne poßit alienari, fidei D. Petri Camilli commiſit non ſolum domum, ſed conditionem quoq; non alienandi, & Dominus Petrus Camillus agnoſcens quod ei relictum fuerat, non ſolum domum fidei ſuæ creditam ſuſcepit, ſed etiam conditionem non alienandi, ſine qua domus ei relicta non fuiſſet: ergo præſtitit fidem non alienandi; ex qua oritur naturalis obligationis vinculum ſeruandi fidem, & domum ea conditione ſuſceptam non alienandi: à fide autem præſtita recedere non potuiſſet ſine peccato, vt docet optime Gaiet. 2. 2. q. 113. in fin. & cum hic actus ſit in materia graui, & lædens

memoriam

memoriam, quam in domo, de qua agitur, teſtator mandauerat conſeruandam, peccatum mortale erit: nullum igitur vinculum naturalis obligationis oriri poterit de actu præſtitæ fidei contrario.

Tertiò, Quamuis ſolemnitates teſtamenti ſint de iure ciuili; ipſum tamen teſtamentum condere eſt de iure gentium. Bar. in l. Interdum, nu. 7. Iaſ. communem dicens, nu. 4. ff. de Condit. indeb. Doctores in l. Si teſtament. C. de Teſtamentis. Iaſ. poſt alios, nu. 14. cum ſeq. in rubr. ff. de Acquiren. hæredit. Dec. conſ. 553. nu. 5. Couar. lib. 3. var. reſol. c. 6. nu. 7. quod ſi iure gentium hoc competit teſtatori, iure etiam naturali competet. §. Quod verò, Inſtit. de Iur. na. gen. & ciu. §. ſingulorum. Inſtit. de rerum diuiſ. ergo naturalis iuris vinculo tenetur hæres, aut fideicommiſſarius poſt agnitum ſibi à teſtatore relictum, leges, & conditiones in teſtamento poſitas obſeruare: de actu igitur huic obligationi contrario præſtando, cum ſit peccatum, nullum poterit vinculum naturalis obligationis oriri.

Quartò probatur ex legum humanarum conſtitutionibus, quas in præcedenti propoſitione oſtendimus in foro conſcientiæ obligare: adeſt in primis tex. in l. Filiusfam. §. Diui il 2. quo ſtatuitur ſeruandam eſſe prohibitionem expreſſam cum cauſa à teſtatore factam: adeſt præterea tex. in §. diſponat, Auth. de Nupt. vbi legis authoritas teſtatoris diſpoſitioni tri-

buitur, & tex in c. vltima voluntas xiij. q. 2. ſtatuens omnibus modis ſeruandam eſſe teſtatoris voluntatem: adeſt tex. in l. fin. in fin. C. de fideicom. vbi dicitur, quòd leges iuſtis diſpoſitionibus teſtatorũ omnimodo hæredes obedire compellunt: adeſt etiam textus in c. Si hæredes, de teſtam. ubi ſtatuitur, quòd ſi hæredes teſtatoris voluntatem exequi neglexerint, ab Epiſcopo poſſunt res omnes eis canonice interdici: adſunt prætereà plures leges pœnales: ex quibus omnibus manifeſte comprobari poteſt culpam eius, qui impugnat teſtatoris voluntatem, poſt agnitum à ſe quod ei fuerat relictum, mortalem eſſe: nam cum multæ tradantur regulæ à Theologis dignoſcẽdi culpæ grauitatem in legum humanarum tranſgreſſoribus, de quibus agit Alph. à Caſt. lib. 1. de vi, & potes. leg. pœn. c. 5. & alij doctores varijs in locis: eas ſi ad factum, de quo agimus, afferamus, inueniemus plane culpam impugnantis voluntatem teſtatoris mortalem eſſe. Harum omnium prima eſt materiæ grauitas, de qua Alph. à Caſt. loc. cit. & Sot. lib. 1. de Iuſt. & iur. q. 6. ar. 4. & Bartho. à Medi. in com. ſuper 1. 2. S. Tho q. 96. ar. 4. at negari non poteſt materiam, de qua agimus, grauem eſſe; primo quia eſt contra iuſtitiam, quod ſufficere ad materiæ grauitatem tradit Medina vbi ſupra in reg. 2. eſt in. contra debitum legale, & obligationem iuſtitiæ, tum naturalem, tum ciuilem, quæ ori-

tur eo ipſo quòd hæres, aut fideicommiſſarius agnoſcit quod ei relictum eſt à teſtatore; vt diximus in primo argumento hanc noſtram propoſitionem confirmante: quod idem confirmatur, quia iudicis officio cogi poteſt ad præſtandum, quod ei eſt à teſtatore præſcriptum, l. Si cui legatum, ff. de Cond. & demonſt. Auth. Hoc amplius. C. de fideicom. glo. in l. Cogi. §. Si pater ff. ad Trebel. Ceph. cum alijs ab eo adductis conſ. 545. nu. 10 & ſeq. lib. 4. debent præterea ab Epiſcopo canonicè omnes res ei interdici, dict. c. Si hæredes, de Teſtam. & ideo poteſt Epiſcopus, cenſuris adhibitis, negligētem ad id præſtandum compellere, vt ex eod. tex. colligitur, imo poteſt Epiſcopus propria conſtitutione excommunicationis pœnam ſtatuere contra negligentes vltimarum voluntatum executiones, vt notat optime Couar. d. cap. Si hæredes. de Teſtam. nu. 4. multòq; magis poſſet id ſtatuere contra earundem impugnatores: Cenſura autem excommunicationis in lege poſita ſemper arguit culpam tranſgreſſoris mortalem, vt Alph. à Caſt. & Medi. loc. cit. & alij ſæpe aiunt: quòd ſi materia eiuſmodi eſt, vt ſuper ea conſtitutio fieri poſſit ab Epiſcopo ſub pœna excōmunicationis; grauis proculdubio erit, quia excommunicationi locus eſſe non debet, vbi materia non eſt grauis, & ad culpam mortalem ſufficiens, c. Nemo Epiſcoporum c. Nullus, 11. q. 3. Eſt præterea hæc

impugnatio contra charitatem, quod arguit materiæ grauitatem, vt ibidem Medi. dicit, quia lædit uoluntatem teſtatoris, qui, ratione in teſtamento præſcripta, memoriæ ſuæ conſulere voluit, quod eſt vnicum bonum ex temporalibus, quod remanet in hoc mundo defunctis, cuius conſeruationis iuſto deſiderio leges fauent adeo, vt ſi teſtator pro conſeruanda ſui memoria aliquid mandet in teſtamento, idq; iuſto aliquo impedimento fieri non poßit, alia ratione teſtatoris memoriæ, ne pereat, omnino ſtatuant conſulendum: quod probatur ex tex. in l. Legatum. ff. de vſu, & vſufr. lega. Quanti autem fieri debeat bonum hoc memoriæ conſeruandæ poſt hanc vitam, vſus hominum communis aperte oſtendit in erectione ſtatuarum, quæ fieri ſolet viris inſignibus, & de illis, qui eaſdem erigunt, benemeritis: hæc autem non aliò tendit quàm ad illorum memoriæ conſeruationẽ: huc accedit quòd inter alias rationes, quare Sãctorum memoria in Eccleſia Dei celebratur, vna eſt non ſpernenda, vt in hoc mundo iugis eorum de chriſtiana repub. optime meritorum maneat memoria: contra verò magna ſit pœna eius, cuius nominis memoria deletur, iuxta illud, quod de impio dictum eſt in pſal. 108. In generatione vna deleatur nomen eius: & rurſus de impijs ibidem: Fant cõtra Dominũ ſemper, et diſpereat de terra memoria eorũ. Secunda regula ex verbis legis deſumitur, ex quibus

legiſ-

legiſlatoris mens oſtenditur. In primis verbum, iubemus, indicat mortalem tranſgreſſoris culpam; & verbum, neceſſe eſt, vt ait Alphon. a Caſtro. loc. cit. & ſecundùm alios verbum, omnino, per omnia, & modis omnibus, hoc idem indicant: hæc autem inſunt in legibus de voluntatis teſtatoris obſeruatione diſponentibus, vt in l. fin. C. Ad legẽ Falc. l. Non dubium. §. Illud, C. de Teſtam. l. fin. in fin. C. de fideicom. c. Indicante extra, de Teſtam. c. vltima voluntas, xiij. q. 2. ſicut patere poterit intuenti, & ſingula cum ſingulis legibus conferenti; & propterea doctores dicunt peccatum mortale committere qui voluntatem teſtatoris non exequitur. Caph. et alij, quos ipſe refert, conſ. 497. nu. 49. lib. 4. & Rebuf. Tract. de Sent. præiud. ſeu prouis. nu. 85. Tertia Regula ex eiſdem, & alijs, eſt pœna, vnde arguitur grauitas culpæ: de hac autem tranſgreſſione eius, qui non exequitur, vel impugnat voluntatem teſtatoris, adſunt uariæ pœnæ à legibus ſtatutæ. Prima eſt priuatio eius, quod à teſtatore relinquitur, l. Si quis ſepulcrum, §. Prætor ait, ff. de Relig. & ſumpt. fun. l. penul. in fin. C. de Leg. Alex. conſ. 138. nu. 12. lib. 1. ita vt nullum ex eo teſtamento commodũ conſequi debeat, c. Ex eo, de Reg. iur. in 6. Crau. cõſ. 193. nu. 3. Secunda eſt reſtitutio fructuum, & lucri perceptorũ, l. Hæres meus, §. Qui poſt, vbi Bal. ff. de Condit. & demonſt. l. fin. in fine, C. de fideicom.

Tertia eſt repulſio ab hæreditate, repellitur. n. ut indignus. l. poſt legatũ, ubi Bar. nu. 9. ff. de His quibus vt indi. Crau. conſ. 1. nu. 3. d. cõſ. 193. nu. 3. Quarta pœna eſt interdictum rerum omnium, quod ab Epiſcopo fieri debet, dict. cap. Si hæredes. de Teſtam. Quinta eſt infamia facti, l. Milites, vbi glo. C. de Relig. & ſumpt. fun. & impius & ingratus vocatur, l. fin. §. Illo, vbi Alex. C. de Neceſ. ſeru. hæred. inſtit. efficitur etiam odioſus teſtatori, & ipſum iniuria afficere dicitur, præſertim in ijs, quæ pertinent ad honorem, & memoriam teſtatoris, Pariſ. conſ. 91. nu. 54. & ſeq. lib. 2. poſt Caſtr. conſ. 259. nu. 6. lib. 1. quæ pœnæ, cum graues ſint, grauitatem etiam culpæ arguunt.

Quintò, Si concederetur diſputationis gratia peccatum tantum eſſe veniale in eo, qui non exequitur, vel impugnat voluntatem teſtatoris; adhuc impedit naturalis obligationis ortum, quia obligatio naturalis eſt iuris naturalis vinculum: oportet igitur vt actus, qui eſt eius materia, ad aliquã uirtutẽ pertineat, quia ius naturale præcipit omnes actus virtutũ moraliũ, nullo dempto: at peccatum ad nullam virtutem, etiam ſi veniale ſit, poteſt pertinere, cum virtuti aduerſetur: de eo igitur naturalis obligationis vinculum eſſe non poteſt.

Sextò, Si quis Deo uoto aliquid promittat, quod ſit alterius poteſtati ſubiectum, ſi id faciat ſine conditione

excipiente

excipiente ſuperioris authoritatem, peccatum non euitabit, vt colligitur ex S. Tho. 2.2.q.88. ar.8. ad vlt. ergo multo minus peccatum euitare poterit qui homini abſolute promittit, quod non eſt in ſua, ſed in alterius poteſtate poſitum: de eo igitur nullum poterit vinculum naturalis obligationis oriri. Hic autem, ne quis obiectioni locus relinquatur, non eſt prætereundum, quòd actus illicitus, ſiue peccatum, reſpectu obligationis naturalis, duobus modis poteſt conſiderari; altero modo vt cauſa efficiens, eandem obligationem producens: altero verò vt materia, de qua ſit promiſſio, aut alius quiſpiam actus obligationem pariens: Si priori modo conſideretur, non eſt negandum ex actu illicito aliquando oriri naturalis obligationis vinculum, ſicut patet in matrimonio contracto poſt impedimentum impediens matrimonium contrahendum, & contractum non dirimens, iuxta vulgatum illud: Multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, & hoc modo non intelligimus in rationibus ad probandam propoſitionem noſtram adductis, peccati rationem: ſin autem poſteriori modo actus illicitus, ſiue peccatum, conſideretur, tunc dicimus quòd implicat contradictionem, actum eſſe illicitum, ſiue peccatum, & naturalis obligationis materiam: promiſſio enim eius, quod ſine peccato fieri non poteſt, nullam parit obligationem, c. In malis, de Reg. iur. in 6. atq; hoc modo intelligenda ſunt

omnia

omnia, quæ in allatis rationibus diximus: non enim tantum peccatum eſt primus ille actus impugnationis voluntatis teſtatoris, quem facit qui rem alienare prohibetur, ſed etiam in eodem actu perſiſtere ſemper eſt peccatum: nam ſi negligere executionem voluntatis teſtatoris graue peccatum eſt, vt ſupra diximus, quia qui negligit, cenſetur voluntatem teſtatoris impugnare, vt recte annotauit Aym. Crau. conſ. 11. nu. 3. multò magis dicendum eſt impugnationem voluntatis teſtatoris directã, & in eadem perſeuerantiam peccatum eſſe, atq; ideo ad id præſtandum nemo poteſt obligationis naturalis vinculo teneri: Ex quibus omnibus patet, qđ ſi actus, de quo agimus, abſolute conſideretur, et ſine cõditione authoritatẽ ſuperioris excipiẽte, quia de peccato cõmittendo eſſet, non poſſet naturalem obligationẽ parere. Sin autem conſideretur hic actus ſub ea conditione factus; ſi princeps, ad cuius poteſtatem res ipſa pertinet, quod factum eſt approbauerit (quam conditionem ſemper intelligendam eſſe in omnibus ſuperioris authoritati ſubiectis docet glo. in c. Conſtitutus, de Reſcrip.) cum cõditio nihil in eſſe ponat, l. Si quis ſub conditione, ff. Si quis om. ca. teſt. Dec. l. Quandiu, 2. lectu. nu. 21. C. Qui admitti. Soc. iun. in rub. Sol. matrim. nu. 41. & l. Centurio nu. 293. ff. de vulgar. & alij pleriq;, quos non adducimus, quia res eſt nota; actus ſub conditione factus non poteſt in eſſe

deducere

deducere naturalem obligationem contra teſtatoris expreſſam prohibitionem, quæ ſemper in ſuo robore manebit, donec princeps cauſa cognita à prohibitione teſtatoris recedendi facultatem faciat. Interim verò perpendendus erit actus ex vi prohibitionis à teſtatore factæ: illius igitur natura nunc indaganda erit, & hinc ſumitur

Septimum argumentum in ordine: Prohibitionis enim expreſſæ à teſtatore factæ cum cauſa ipſius, non hæredis, aut ſubſtitutorũ fauorẽ reſpiciẽte, natura ea eſt, vt reddat alienationẽ contrariam ipſo iure nullam; Bar. Caſtren. & alij in l. Filiusfam. §. Diui, il 2. ff. de lega. 1. quæ expreſſa prohibitio alienationem, ex fideicommiſſariorum etiam expreſſa conuentione factã, nullam reddit, Cepha. conſ. 296. nu. 24. lib. 2. præſertim cum teſtator prohibeat domum nullo modo alienari, quo caſu omnem alienationem dicitur prohibere, etiam in caſibus aliàs permiſſis, Dec. conſ. 636. nu. 10. Crau. conſ. 201. nu. 42. Rol. conſ. 27. nu. 9. cum ſeq. lib. 4. eòque magis hoc dicendum eſt, cum legis prohibitio cum teſtatoris prohibitione, ut in caſu noſtro, coniungitur; quia ab initio reddunt alienationem ipſo iure nullam, Rol. conſ. 81. nu. 17. cum ſeq. lib. 2. duplex enim prohibitio fortius operatur, Bero. conſ. 129. nu. 17. cum ſeq. vbi teſtatur de magis communi, rurſus conſ. 84. nu. 68. cum ſeq. conſ. 22. nu. 32. cum ſeq. conſ. 91. nu. 9. lib. 2. &

q. 41. in fin. Vaſq. de Succeſ. progreſ. lib. 3. §. 28. nu. 11. Soc. iun. conſ. 16. nu. 22. lib. 4. Crau. dict. conſ. 201. nu. 42. & inter comu. opin. ver. prohibitio: contractus autẽ cui lex reſiſtit ab initio, et eſt ipſo iure nullus, nullam parit obligationẽ neq; ciuilem, neq; naturalem, Bar. & doct. in l. Si non ſortem, in princ. ff. de Condit. indebit. & in l. Cum lex, nu. 3. & ſeq. ff. de fidieuſ. Bal. in l. 2. in fin. Cod. vt in poſſeſ. lega. Roma. conſ. 437. nu. 4. Plot. l. Si quando nu. 263. & ſeq. C. vnde vi. Barba. conſ. 43. nu. 13. lib. 1. Bero. conſ. 56. nu. 3. lib. 1. Annib. poſt alios in l. Nemo poteſt. nu. 140. de lega. 1. Soci. conſ. 93. col. fin. lib. 1. Vaſq. de Succeſ. creat. lib. 2. §. 18. nu. 90. Couar. in c. Quanuis, §. 4. nu. 6. de Pact. in 6. Ceph. conſ. 207. nu. 22. & ſeq. lib. 2. & conſ. 466. nu. 66. 68. lib. 4. Menoc. conſ. 11. nu. 26.

Octauò probatur: Qui enim obligationis naturalis vinculo tenetur non poteſt facto proprio contrauenire, quia ſola naturalis obligatio parit exceptionem, l. Iuriſgentium, §. Igitur nuda, & ibi Doct. ff. de Pactis, quæ contrauentionem excludit, l. 2. ff. de except. et repetitionem impedit, l. Sed & ſi. in fin. cum l. ſeq. ff. ad Maced. l. Naturaliter l. Si pœnæ cauſa, in prin. l. Si non ſortem, §. Libertus, l. Frater à fratre, l. Si quod, ff. de Condit. indeb. & tradunt Doct. in l. 1. & in l. Iulianus, ff. eod. & in l. Cum quis C. de Iur. & fac. igno. Sed alienans contra prohibitionem expreſſam

preſſam teſtatoris poteſt alienationem reuocare, & facto proprio contrauenire, Bar. in l. Poſt mortem, ff. de Adopt. Dec. conſ. 185. nu. 5. Afflic. deciſ. 335. nu. 11. Gram. deciſ. 93. nu. 3. Ceph. conſ. 392. nu. 29. & 30. conſ. 393. nu. 186 & 195 conſ. 318. nu. 89. 103. lib. 3. conſ. 272. nu. 53. & ſeq. lib. 2. præſertim quando alienatio ipſa eſt nulla fauore alterius, & contra formam iuris facta, Abb. in cap. Noſtri, Fel. in c. 2. nu. 9. de Except. Bal. in l. Quoties, nu. 10. C. de Fideicom. Iaſ. conſ. 87 nu. 2. in fin. lib. 1. Dec. conſ. 185. nu. 6. conſ. 445. nu. 29. Alex. conſ. 123. nu. 6. lib. 1. conſ. 109. nu. 3. lib. 4. Ange. ſuper Inſtit. qui. alien. lic. vel non, in princ. nu. 7. Rub. conſ. 84. nu. 7. Calca. conſ. 125. nu. 5. Deciſ. Pedem. 180. nu. 2. Nata conſ. 289. nu. 6. ex facto igitur prohibitioni expreſſæ contrario nulla oritur naturalis obligatio.

Nono, Vel teſtatoris diſpoſitio poteſt ab initio impedire naturalis obligationis ortum, vel non; at dici non poteſt illam naturalis obligationis ortum impedire non poſſe, quia poteſt ad ſui obſeruantiam hæredem, aut fideicommiſſarium ſub reatu mortalis peccati obligare, quemadmodum ſuperius oſtenſum eſt; & ex conſequenti naturalis obligationis ortum impedire: implicat enim contradictionē quòd aliquis actus ſit peccatum, & naturalis obligationis materia: poterit igitur ſine dubio hoc efficere. Cum au-

tem ad alicuius actus validitatem duo ſint neceſſaria, poteſtas ſcilicet, & voluntas, in c. Cùm ſuper, de off. deleg. cum de poteſtate conſtet, videamus an de voluntate quoq; teſtatoris in facto, de quo agimus, conſtare poſſit: hoc autem non aliunde colligi poteſt, quàm ex ipſius teſtatoris verbis in teſtamento poſitis, quæ ſunt hæc, videlicet: Quia non vult quòd poſſit quomodolibet uendere, alienare, permutare, nec diſponere inter uiuos, uel cauſa mortis, aut alio quouis modo locum appellatum la roſta, &c. & palatium iacens, & ſitum in ciuitate Alexandriæ &c. ex quibus neceſſitas omnino à teſtatore imponitur, uerbo, poteſt, negatiue prolato, ut colligitur ex glo. in c. 1. de Reg. iur. lib. 6. quæ neceſſitas adeo arcta eſt, ut omnem impediat obligationem, etiam naturalem, in actu contrario, ut notat Soc. conſ. 93. col. ult. lib. 1. ubi dicit, quòd uerbo non poteſt in ſtatuto poſito, cenſetur ſtatutum reſiſtere actui ab initio, ita ut actus nullus reddatur, & ex eo neq; ciuilis, neq; naturalis obligatio naſcatur, & hanc dicit eſſe communem opinionem Annib. in l. Nemo poteſt, nu. 140. de Leg. 1. not. Tiraq. de leg. Conub. glo. 4. ver. Ne peut, nu. 12. propter quod uerbum negatiuè prolatum conſultus Iacob. Menoc. reſpondit, ex facto contra conſuetudinem Alexandrinã, qua marito prohibetur ne poſſit aliquid uxori legare,

nullam

nullam oriri naturalem obligationem, neq; in foro conſcientiæ actum illum obligare, conſ. 11. nu. 26. quare ex hoc actu teſtatoris expreſſæ prohibitioni contrario nullum poterit vinculum naturalis obligationis oriri, etiam ſi iuramentum eidem acceſſerit, de quo poſtea late ſuo loco agendum erit.

Decimo, Ex obligatione naturali iure pontificio cõpetit actio, & euangelica denuntiatio, at ex pacto contra teſtatoris voluntatem iure pontificio neq; actio competit, neq; euangelica denuntiatio: ex pacto illo igitur non oritur naturalis obligatio: Maior huius argumenti propoſitio duo continet: Alterum eſt, quòd ex naturali obligatione iure canonico actio competat, & probatur ex glo. communi Doctorum conſenſu recepta, in cap. 1. de Pact. Bal. auth. Ad hæc: nu. 16. C. de vſur. Iaſ. communem dicente in l. Iuriſgentium §. Sed cum nulla, nu. 4. ff. de Pact. Couar. in relec. c. Quanuis, 2. par. §. 4. nu. 14. de Pact. in 6. qui omnes agunt de naturali obligatione ex pacto nudo proueniente: Alterũ quod dict. propoſitio continet eſt, eadem obligatione euangelicam denuntiationem competere, & probatur ex Innoc. in c. Nouit, nu. 4. de Iud. Bar. in extrauag. Ad reprim. verbo Denuntiationem, nu. 9. 10. Bal. d. auth. Ad hæc nu. 17. C. de Vſur. Imol. c. Quæ in Eccleſiarum, nu. 22. & Felin. nu. 58. de Conſtit. Minor verò probatur in c. Si hæredes, & in c. Ioannes, de Teſtam. in quo-

rum priori dicitur, quòd ſi hæredes iuſſa teſtatoris nō adimpleuerint, ab Epiſcopo loci illius omnes res, quæ eis relicta eſt, canonice interdicatur cum fructibus, et cæteris emolumentis, ut uota defuncti adimpleantur: quibus verbis manifeſte improbatur impugnatio voluntatis teſtatoris, cum ea tantum ſit illius conſtitutionis cauſa, vt voluntas teſtatoris impleatur: in poſteriori uerò dicitur cogi debere executores poſt ſuſceptum mandatum teſtatoris explere vltimam voluntatem, vnde manifeſte probatur omn, equod eſt exequtioni vltimæ voluntatis contrariū, iure pontificio improbari: non igitur poterit ex eo actio efficax, aut euangelica denuntiatio illo iure competere, cum huius actionis, aut denuntiationis executio pontificijs illis conſtitutionibus, alijsq; ſimilibus ſit contraria.

Poſtremò, quò rei veritas dilucidius appareat, & propoſitio noſtra firmius comprobetur, demus interim diſputandi gratia aliquam naturalem obligationem ortam eſſe, quod tamen falſum eſt, vt oſtendimus, illius uis ſecundum materiam rei, de qua agimus, & natura indaganda erit, & meminiſſe oportebit eius, quod in initio ſtatim poſt propoſitionē noſtram præmiſimus, quod ſcilicet res, de qua agimus, principis authoritati erat omnino ſubiecta, eiuſq; poteſtati reſeruata; quo ſuppoſito, magnum ſequitur diſcrimen inter promiſſionem factam rei, quæ eſt in facultate promittentis, & eius, quæ eſt in faculta-

te ſuperioris poſita: nam in priori quidem rerum genere promiſſio promittentem obligat ad id, quod promiſit, omnino ſeruandum, niſi bonis moribus, & diuinæ legi ſit contrarium: in poſteriori verò rerum genere promiſſio tantum obligat promittentem ad faciendum quod in ſe eſt, quod eſt in facultate ipſius poſitum, non autem ad præſtandum, vt effectus omnino ſequatur, cum nemo poſſit promittere, neq; præſtare teneatur, quod eſt poſitum in alterius facultate, vt docet optime glo. in c. Conſtitutus, de Reſcrip. atq; ideo ſi promittens faciat quod in ſe eſt, vt, quod policitus eſt, ſequatur, etiam ſi poſtea id non fiat, quia ſuperior quod factum fuerat noluit approbare; erit ipſe à quocunq; vinculo obligationis ſolutus, quia iam ſoluit quod debebat, etiam ſi promiſſio ipſius fuiſſet iuramento firmata, vt glo. in præaleg. c. Conſtitutus, optime dicit, & eſt etiam communis doctrina Theologorum, S. Tho. 2. 2. q. 89. art. 9. ad vlt. à quo nemo diſcrepat: In hoc autem caſu D. Petrus Camillus præſtitit quod in ſe erat, quia poſt preces meas in Senatu porrectas, petiit ab eodem Senatu Excellentiſſimo quod factum ab eo fuerat cum fratribus Baratis confirmari, ſicut patet literis ſupra poſitis, de quibus latius inferius agemus, & cum illi preces meæ, & Senatus reſcriptum innotuiſſet, reſpondit velle ſe omnino, quantum in ſe erat venditionem factam dictis fratribus valere, quod

cum fuerit totum illud, quod ex promiſſione facta rei ſuperioris authoritati ſubiectæ præſtare poterat, ſoluit quod debuit, neq; vinculum vllum in eo remanet naturalis obligationis, quod profecto adeo ſolidum eſt, vt videre non poſſim, quid contra dici poſſit, niſi coactum, & omni firmitate carens: & in hoc videtur rei difficultas conſiſtere; quia idem iudicium ſit à parte aduerſa de hac re ſuperioris authoritati ſubiecta, quod debet fieri de ea, quæ in facultate ſit promittentis

Confirmatur hoc idem: quia promiſſio, quæ fit Deo, & votum dicitur, arctius obligationis vinculum parit, quàm promiſſio homini facta, etiam iuramento firmata, vt probat S. Thomas 2. 2. q. 89. ar. 8. Sot. lib. 8. de Iuſt. & iur. q. 1. ar. 8. Sed in promiſſione, quæ fit Deo de re alterius poteſtati ſubiecta, ſemper intelligitur conditio eandem ſuperioris facultatem, & voluntatem excipiens, & voluntate ſuperioris contraria tollitur qualibet obligatio ex promiſſione illa proueniens, vt probat S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 8. & Sot. lib. 7. de Iuſt. & Iur. q. 3. ar. 1. Ergo multo magis hoc dicendum erit in promiſſione homini facta, etiam ſi fuerit iuramento confirmata.

Tertia propoſitio. Ex contracta domus, de qua agitur, pro meo Epiſcopatu emptione, & venditione nulla orta eſt reſtituendi obligatio. Hæc propoſitio ex ijs, quæ in præcedentibus diximus, ſatis eſt comprobata.

Si .n. in hoc facto nullum eſt conſtituendum diſcrimen inter forum exterius, & conſcientiæ, cum decretum Senatus iuſtum ſit, vt prædictus D. Doctor fatetur, in vtroq; foro iuſtum erit & ipſum decretum, & eiuſdem executio: actus .n. ipſe contrahendi hanc emptionem non fuit contra iuſtitiam, cum in eo ſit odro iuris ſeruatus: nulla præſumptio, aut falſa probatio ad id decernendum principem mouit, in cuius facultate erat agere, quod egit, cum res ipſa eius poteſtati reſeruata eſſet: nulla igitur inde oriri potuit reſtituendi obligatio.

Secundò: Quia tota ratio prædicti D. Doctoris, propter quam videtur illi ortam fuiſſe reſtituendi obligationem, eſt, quia illi etiam videtur naturalem obligationem ortam fuiſſe; quæ tamen ratio corruit ex ijs, quæ in præcedenti propoſitione diximus.

Tertiò probatur ex abſurdo, quod inde ſequeretur: Si enim hoc verum eſſet, ſequeretur neceſſario Senatum quoq;, ex eo quòd iuſſit domum, de qua agitur, Epiſcopo vendi, modo illam acquireret Epiſcopatui; contra iuſtitiam peccaſſe, & eadem reſtitutionis obligatione teneri: qui enim iubet aliquid fieri, propter quod ſequatur reſtituendi obligatio, ipſe quoq; in eo ſe reddit reſtitutioni obnoxium, vt docent Doctores Theologi 4. ſent. diſtin. 15. cum agunt de reſtitutione, & S. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 7. & Sot. lib. 4. de Iuſt. & iur. q. 7. ar. 3. & ſummiſtæ deniq;

omnes in ver. Reſtitutio: at ſecundum prædictum D. Doctorem ex illius executione, quod mandauit Senatus, orta eſt reſtituendi obligatio: ſententia igitur principis, quæ ſola fuit huius rei cauſa ſufficiens, & efficax, non fuit iuſta, ſed eum obnoxiũ reddit reſtitutioni, cum præſertim D. Petrus Camillus à Canibus reſpõderit Excellentiſſimo Senatui, velle ſe, quantum in ipſo erat, contractum cum fratribus Baratis perficere: conſequens autem neq; verum eſt, neq; ab ipſo Doctore conceſſum: non erit igitur verum antecedens, quòd ex illius executione, quod decreuit Senatus, aliqua orta ſit, & maneat reſtituendi obligatio: atq; hæc de prima diſputationis noſtræ parte dicta ſint;

Nunc autem ſecundam aggrediamur, in qua rationes pro me à prædicto Domino Doctore allatæ, & eiuſdem ad ſingulas reſponſiones, perpendendæ erunt. harum omnium

Prima eſt hæc. Teſtatoris voluntas pro lege haberi debet §. diſponat, in Auth. de Nupti. Bar. in l. Peto §. fratre, nu. 2. in princ. ff. de Leg. 2. & in l. Si ita quis §. Ea lege, nu. 7. ff. de verb. oblig. Bal. in l. Quoties C. de Fideicom. & in lib. Probib. alienat. Abb. in cap. Cum non liceat, nu. 9. de Præſcrip. at vbi lex vetat actum fieri nihil penitus valet, ſi factus ſit, l. Non dubium C. de Legi. & l. Cum lex. ff. de Fideiuſ. idem igitur dicendum erit de teſtatoris

voluntate,

voluntate, et eius prohibitione, præſertim cum cauſa, qua exiſtente dicit Gram. deciſ. 93. in princ. q̄d alienans contra teſtatoris prohibitionem proprio facto contrauenire poteſt. Ad hanc rationem reſpondet prædictus Doctor non attentis verbis Gram. quæ tamen non ipſius tantum ſunt, ſed aliorum, quos ſupra in probatione ſecundæ propoſitionis attulimus, hanc nihilominus concluſionem receptam eſſe, quòd in præiudicium uenditoris alienatio ualeat, & quòd ex illa oriatur naturalis obligatio: De hac concluſione latius poſtea agendum erit: interim tamen dicimus perpendendam eſſe cauſam prohibitionis à teſtatore factæ, quando expreſſa eſt in teſtamento, ut in propoſito facto contingit; quòd ſi non reſpiciat fauorem ipſius alienantis, dicimus nullo modo ualere: in caſu autem, de quo agimus, cauſa à teſtatore expreſſa reſpicit tantum conſeruationem memoriæ teſtatoris, propter quam teſtator ea lege domum reliquit, ut ſubſtitutus domum ipſam habiturus inſignijs eius utatur, quæ cauſa, cum ſolius teſtatoris memoriam in ea, eiuſq; poſſeſſore conſeruandam reſpiciat; efficit planè, ut non ſolum nullum ſit quicquid eſt contra uoluntatem teſtatoris, ſed etiã (ſi abſolute fiat) peccatum, ut ſuperius in ſecunda propoſitione oſtendimus, quia in eo actu agitur contra fidem datam ſeruandi conditionem non alienandi, & contra obligationem ciuilem, & naturalem in fideicommiſſario

ortam eo ipſo, quòd agnouit quod ei à teſtatore relictum fuerat: & propterea non eſt mirum ſi doctores, quos ſupra attulimus, dicant facto proprio contrauenire poſſe illum, qui contra teſtatoris voluntatem fecit: in hoc enim locum habet illud Iſid. In malis promiſsis reſcinde fidem. Neq; dubitandum eſt hunc actum eſſe contra bonos mores, & contra legem Dei naturalem, cum ſit contra virtutem fidei, ſeu fidelitatis, quæ eſt virtus moralis iuſtitiæ annexa, cuius præceptum in materia graui ad mortale obligat, vt ſupra in ſecunda propoſitione oſtendimus; atq; ideo hic actus confirmari non poteſt iuramento, cum in deteriorem exitum vergat, & in præiuditium ſalutis æternæ: de iuramẽto tamen latius acturi ſumus loco proprio, cum ſingulas partes tertij argumenti, à prædicto D. Doctore pro ſua ſententia allati, perpendemus. Addit præterea prædictus D. Doctor in eadem reſponſione: Neq; obſtat, inquit, ſi dicatur quòd iuramentum non confirmat actum prohibitum, d. l. Non dubium C. de Legi. quia reſpondetur non procedere quando prohibitio deſcendit à iure ciuili principaliter non propter publicam vtilitatem, ſed propter priuatam; & hic ſtat punctus: quam concluſionem probat tex. cum alijs ab eo adductis. Ad hoc dicimus, quòd quando iuramentum dicitur confirmare actum à lege prohibitum propter ſolam priuatam vtilitatem, intelligi-

tur

tur de vtilitate ipſius met iurantis, quia per actum contrarium legi. prohibenti cenſetur renuntiare proprio fauori, propter quem prohibitio facta fuerat, non autem intelligendum eſt de fauore alterius, ut probat tex: in c. Cum contingat, de Iureiur. hic autẽ uerſamur in facto, ubi agitur de prohibitione facta propter fauorẽ teſtatoris, vt memoria illius in domo, de qua agitur, conſeruaretur, quæ fuit ſola cauſa prohibendi alienationem à teſtatore expreſſa. Huc accedit quòd etiamſi fauor fuiſſet mixtus, teſtatoris ſcilicet, & fideicommiſſarij, quia non poterat fauori ſuo renuntiare ſine inſeparabili præiudicio teſtatoris, ne proprio quidem fauori renuntiare potuiſſet, Matt. Fel. inter conſilia Caſtr. conſ. 259. nu. 5. lib. 1. Bal. l. penul. nu. 4. C. de Pactis. Nata conſ. 289. nu. 4. nihil igitur ad rem facit diſtinctio ab eo allata de priuata, & publica vtilitate, quia eadem ratio militat de priuato, qui ab ipſo iurante facto aliquo læditur, quæ de re publica, ſeruato tamen ordine, & proportione publici, & priuati boni. Addit præterea prædictus D. Doctor in eadem reſponſione: Neque obſtat, inquit, contra prædictam concluſionem, ſi dicatur concluſionem prædictam non procedere quando prohibitio afficit perſonam, iuxta dictum Bart. &c. Hæc obiectio, eiuſq; reſponſio nihil prorſus ad rem noſtram faciunt, quia diſtinctio illa à Bar. allata in l. Si quis pro eo. ff. de Fideiuſſo. pro-

hibitionis directa in rem, vel in perſonam, ad hoc tantum ab eo affertur, vt oſtendatur ex ipſius legiſlatoris verbis directis in perſonam, colligi præceptum factum ſubdito, cui ſub reatu peccati ſubditus obedire debet, quod tamen non ita colligitur ex verbis in rem directis: nos autem in facto verſamur, in quo non eſt colligenda mens legislatoris ex conceptione verborum in rem, vel perſonam directorum; ſed plane conſtat tum ex materiæ grauitate, tum ex uerbis alijs, obligationem ad culpam mortalem in lege humana indicantibus, tum ex pœnarum multitudine, & varietate, impugnationem voluntatis teſtatoris peccatum mortale eſſe, iux. ſententiam etiam doctorum, quos ſupra attulimus: atq; ideo non eſt nobis opus refugio illius diſtinctionis, quæ tamen approbatur præter Bar. ab Angel. in Auth. Sacram, pub. nu. 15. & conſ. 160. nu. 3. & ab alijs pleriſq;, quos omitto breuitatis cauſa: Verum quicquid ſit de communi opinione, dicendum eſt ſaltem locum eſſe illi diſtinctioni, quando aliunde conſtare non poteſt de quantitate obligationis à lege prouenientis, tunc enim vera eſſe poterit illa diſtinctio: ex quo reſpondetur ad primum eorum trium, quæ de hac re dicit D. Doctor, quod erat, huic opinioni Bar. veram, & communem ſententiam eſſe oppoſitam, ad quod iam reſpondimus locum ſuum habere poſſe diſtinctionem illam, quando aliunde, vt diximus, de

legislatoris

legiſlatoris voluntate conſtare non poteſt: Si enim conſtiterit ex alijs, ex eis obligatio legis perpendenda erit. Secundum, quod dicit, eſt, diſtinctionem illam, an prohibitio fiat in perſonam, an vero in rem, locum habere in prohibitione legis, hìc autem de prohibitione hominis agitur: ratio autem diſcriminis vtriuſq; prohibitionis eſt, quia faciens contra legem peccat mortaliter, quæ ratio non ita facile inueniri poterit, & abſolute in hominis prohibitione, loquendo de homine ſubdito, & priuato, vt pro conſtanti habetur in c.2. de Maior. et obed. Ad hoc dicimus, quòd ſi abſolutè loquamur, ex ſuo genere contra teſtatoris prohibitionem facere poſt agnitam hæreditatem, vel fideicommiſſum (ſicut late oſtendimus in ſecunda propoſitione) peccatum mortale eſt, quia non ſolum adeſt prohibitio hominis, ſed adſunt etiam legum conſtitutiones plurimæ, vt ſupra oſtendimus, quæ obligant ad peccatum mortale, vt late iam diximus. Sequitur prædictus D. Doctor: Non obſtat, inquit, quòd voluntas teſtatoris pro lege habeatur, quia hoc non eſt verum in omnibus, & æqualiter cum lege, neq; quo ad vim præceptiuam, & priuatiuam, ut pro conſtanti habetur in l. Nemo poteſt, ff. de Legat. 1. & apud Bar. in l. 1. §. 1. ff. de Conniun. cum Emancip. lib. & ideo, inquit, non erit mirum ſi illud fundamentum, quo vtuntur tenentes dictam diſtinctionem, non ita conueniat cum pro-

hibitione

hibitione teſtatoris. Ad hoc dicimus, quòd ſi omnia, quæ in lege reperiuntur, in teſtatoris voluntate reperirentur, non eſſent æquiparata, ſed eadem: quando igitur a Doctoribus dicuntur æquiparari, intelligendum eſt de eo, in quo inuicem comparantur, nulla habita ratione diſcriminis, quod inter ea ſit in alijs, in quibus non ſit comparatio, & ideo verum eſt in vi præceptiua legem, & voluntatem teſtatoris diſtingui, quia lex fertur à ſuperiori in ſubditum, quod de teſtatore non contingit, et obſeruatio legis eſt actus virtutis obedientiæ, obſeruatio verò voluntatis teſtatoris eſt actus fidei, quæ ſunt diſtinctæ virtutes; ſed cum dicitur pro lege habendam eſſe teſtatoris uoluntatem, intelligendum eſt quo ad obligationem ad culpam, quòd ſcilicet ſicut ille, qui agit contra legem, peccat propter inobedientiam; ità qui agit contra teſtatoris voluntatem peccat propter infidelitatẽ, vt opponitur fidei, quæ eſt virtus moralis, & in hoc comparatio valet, et ideo dicuntur quo ad hoc æquiparata: Sicut etiã votum dicitur lex quædam priuata, ſed tamen pertinent ad diſtinctas virtutes obſeruatio uoti, & obſeruatio legis. Obſeruatio legis eſt actus obedientiæ; obſeruatio uerò uoti eſt actus religionis, ut eſt uirtus moralis: quod exemplum huc affertur, quia ſicut ab initio uotum eſt uoluntatis, & poſtea ſit neceſſitatis; ita obſeruatio uoluntatis teſtatoris ante agnitam hæreditatem, uel agnitum fidei-

commiſſum eſt uoluntatis, poſtea uerò fit neceſsitatis adeo obligantis, ut legis uim habere dicatur. Tertium quod dicit, eſt, Quòd illa, inquit, prohibitiò, utrum in rem, uel in perſonam facta ſit, poteſt quidem exemplificari in prohibitione legis, non uerò in illa prohibitione alienationis, quæ propter fideicommiſſum à teſtatore facta ſit; quia talis prohibitio non dirigitur in perſonam, ſed concernit, & afficit bona, ſuper quibus bonis teſtator diſpoſuit, ſicq; dicitur fieri in rem, non autem in perſonam, quia teſtator eò tetendit ne bona alienarentur, non uerò quicquã fecit, nec facere ualuit, aut potuit unde impediretur obligatio contrahentis, & contractus in præiuditiũ contrahentis. Ad hoc dicimus, quòd actus, qui prohibētur, debent ſemper verſari in aliqua materia ſubiecta, in quam tamen non dicitur dirigi prohibitio, ſed in ipſum, qui prohibetur: ſicut in lege actus furti uerſatur circa bona externa, & tamen lex prohibens furtum fieri non intelligitur directa in bona illa externa furto ablata, ſed ipſum furem afficit: Idem quoq; dicendum eſt de uoluntate teſtatoris; uerſatur quidem prohibitio circa bona externa tanquam circa materiam, prohibitio tamen reſpicit actum hæredis, aut fideicommiſſarij, alioquin ſequeretur (ſuppoſita Bar. diſtinctione, & D. Doctoris reſponſione) nullam legem de rebus externis latam obligare ad culpam, quia diceretur in res tantum externas directas

quod

quod tamen abſurdum non eſt concedendum: Sed hoc, etiamſi quid ueritatis haberet, contra nos nihil facit, qui agimus de impugnatione voluntatis teſtatoris, quæ tot legum conſtitutionibus prohibita eſt, ut ex genere ſuo ſit peccatum mortale.

Secunda ratio ab eodem pro me allata eſt eadem in re cũ prioris procedit enim ex comparatione iam allata inter legem, & teſtatoris uoluntatem hoc modo: teſtatoris uoluntas pro lege habetur, at ſi lex prohibeat aliquid fieri, ex facto legi contrario nulla oritur naturalis obligatio: ergo idem de uoluntate teſtatoris, & facto ei contrario dicendum erit: Ad hanc rationem nihil animaduertendum dicit D. Doctor, ſed tantum reſpondet hic naturalem obligationem adeſſe, quod tamen falſum eſt, ut ſupra oſtendimus.

Tertia eiuſdem pro me allata ratio procedit ex diſtinctione duplicis naturalis obligationis, quarum altera moralis honeſtatis eſt, nec ad peccatum obligat; altera uerò, quæ eſt iuris naturalis uinculum, ad peccatum obligans, quarum meminit Didacus in cap. Cum eſſes nu. 9. de Teſtam. & in ſecunda parte relect. cap. Quanuis. §. quarto nu. 5. de Pact. in 6. qua ſuppoſita diſtinctione dicit, quòd quando lex actui reſiſtit ab initio, ex actu legi cõtrario nunquam oritur naturalis illa obligatio, quæ eſt iuris naturalis uinculum obligans ad peccatum: nonunquam tamen altera, quæ eſt moralis honeſtatis, oriri poteſt.

Ad

Ad hanc rationem nihil aliud reſpondet D. Doctor, niſi quòd ceſſat, quia hìc agitur de naturali illa obligatione, quæ nata eſt ex conſenſu diſpoſitiuo, & obligatorio, & ex iuramento, cui impune non contradicitur: quæ omnia, cum falſa eſſe ſupra oſtenderimus, qua facilitate dicuntur, pari etiam facilitate refelluntur.

Quarta ab eodem pro me allata ratio procedit ex diſpoſitione legis Quoties, C. de Rei vendicat. De hac ratione dixi ſuperius contractam à me emptionem domus huius Epiſcopalis adeo firmam, & ſolidam eſſe, vt huius legis refugio non indigeat, quæ tamen lex intelligenda eſt, cum prior emptio nullo alio indigeret, quàm rei ipſius traditione, in cæteris autem omnia haberet, quæ ad ius, & dominium in emptorem transferendum ſunt neceſſaria: hic autem conſtantiſſimum eſt, vel ipſo D. Doctore non negante, hæc non adfuiſſe; quare non prædicti fratres propter illum actum nullum dicendi ſunt primi emptores, ſed ego pro meo Epiſcopatu, qui contraxi emptionem omni iuris robore munitam.

Quinta pro me allata ratio eſt, quia, inquit, in foro conſcientiæ ſententia iuſta ſeruanda eſt, cum exceptio rei iudicatæ ſit etiam iure canonicò approbata, et in foro pænitentiali obſeruari debet, ſaltem quando pars non confitetur ſententiam iniuſtam, aut notoriè apparet de iniuſtitia, quòd dicendum non eſt de

hac Senatus Excellentiſſimi ſententia : quæ ratio coadiuuatur , quia ſententia hæc , de qua agimus , cum ſit decretum principis , de eo , quod erat in facultate ipſius poſitum , non tantùm declarat ius parti , pro qua fertur , quæſitum ; ſicut ſententiæ iudicũ inferiorum , ſed tribuit etiam ius non habenti : Hanc rationem dicit prædictus D. Doctor ceſſare , nulla alia ratione allata , quàm quòd naturalis iam orta obligatio ſententia illa auferri non potuit , atq; ideo neq; fundamentum ſublatũ intelligi debet hanc cauſam decidendi in foro conſcientiæ ; cui tamen fundamento , cum nimis debile ſit , innitendum non erat in conſtruenda tot verborum congerie, quæ nihil omnino dicunt aliud , quàm naturalem hanc obligationem in D. Petro Camillo manere, quod ſupra falſum eſſe oſtendimus: quæ autem ſibi ipſi obijcit, & poſtea reſpondet de naturali obligatione , quæ ex iuſta ſententia oritur , quòd ficta ſit , & actui vero non præiudicet; ſublato illo fundamento naturalis obligationis ortæ , omnia corruunt : Illud tamen non eſt prætereundum , quod ſupra dixit , nunc autem iterum inculcat , quòd ego duas illas quantitates pecuniarum ſoluere debui dictis fratribus , quod nondum egi, ad quod dicit me teneri in vtroq; foro: quod tamen falſum eſt ; nam ſiquid debet D. Petrus Camillus pecuniarum à fratribus Baratis *acceptarum , non debuit prædictus Doctor eius me dicere debito-*

rem

rem, ſcriptis præſertim publicè editis, quia à veritate prorſus alienum eſt; neq; uerò ſummam aliam pecuniarum in utroq; foro dicere debuit me debere, cum in neutro uerè ſim debitor, quia capita omnia impenſarum poſt contractam à me domus Epiſcopalis emptionem, quas ſe dicunt feciſſe prædicti fratres, cum ſecundò uoluerunt audiri, in vtroq; foro ſunt omnino auferenda, quia iam ex ſententia Senatus, et decreto uendita fuerat domus, & à me empta pro Epiſcopatu, & ideo non debuit agi niſi coram iudice competente; quod ſi ego paſſus ſum (citra tamen fori præiudicium, vt pateret euidentius iuſtitia Senatus) eos iterum audiri, non tamen impenſas illas debuerunt prædicti fratres ponere, cum in cauſa ſuccubuerint, & verè nihil ab eis dictum fuerit ſecundò, quod prius non dixerint: abſurdum enim eſt omnino ei ſoluendas eſſe impenſas, qui iudicis iuſta ſententia in cauſa ſuccumbit: alia præterea capita non ſunt uera; in neutro igitur foro debeo ego, quod prædictus Doctor dicit me debere: Et certe ſi de pecunia tantū ageretur, maiorem etiam ea quantitatem non tanquam debitor, ſed gratis dediſſem, ſi tamen ea modeſtia, qua cum proprio Epiſcopo agendum erat, mecum agere voluiſſent; at quoniam illis omnino decretum eſſe video contentione mecum agere quouſq; vel inuitus, & coactus ſuccumbam, ferendum hoc mihi eſſe non duxi, & ideo quantum illis iuſtè tantùm

debeo, me dare conſtitui: Non igitur mihi aliquid iuris tribuit ſecunda ſententia Senatus, ſed tantùm declarauit ius iam Epiſcopatui meo quæſitũ ex contracta, ex eiuſdem decreto, emptione, quæ, ſi fuiſſet omnino contraria, nihil prorſus iuris à meo Epiſcopatu ea ſententia detractum eſſet: prius igitur decretum tantum, quò ad impenſas attinet, eſt obſeruandum, quod præſtare non renuo, imo ſummopere cupio, ſi modò ipſi à cepta iam pertinacia quieſcere velint: non eſt igitur quod dicat prædictus Doctor in parte me ſententiam Senatus approbare, & ab ea me in parte recedere, cum ab eo, quod verè debeo nunquam me receſſurum decreuerim.

Sexta eiuſdem pro me allata ratio eſt, quia, inquit, à quocunq; actu excepta dici debet ſuperioris authoritas, in c. venientes, de Iureiur. & notat Abb. in c. Quanto, nu. 8. tit. eod. cum ergo Senatus pro me pronunciauerit, uenditor in totum abſolutus dici debet in quocunq; foro, cum præſertim ſuperior de iure ſubditi debeat poſſe diſponere ex illa concluſione à pleriſq; recepta; quòd ſuperior poteſt diſponere de iure alteri quæſito, mediante ſua conceſſione, Fel. in c. quæ in Eccleſiarum, in quinta declaratione, de Conſtitut. et Cur. Iun. conſ. 1. col. 6. cum præſertim hic agatur de vtilitate publica, & Eccleſiæ. Hæc ratio duo continet; alterum, quòd in actu intelligitur ſemper excepta authoritas ſuperioris; alterum verò, quòd

ſuperior diſponere poteſt de iure iam quæſito, præſertim ex cauſa. Ad hanc bipartitam rationẽ reſpondet multa prædictus Doctor: Primum eſt Excellentiſſimum Senatum ſua diſpenſationẽ confirmaſſe contractum cum prædictis fratribus initum: Hic ego à prædicto D. Doctore quæro, an putet ita confirmatum eſſe illum actum in foro exteriori, vt ius omne quæſitum ſit fratribus, pro quibus agit, præter rei ipſius traditionem, quod ex verbis ipſius colligendum videtur, cum poſtea dicat propter ius hoc quæſitum, & ablatum, dandam fuiſſe condignã compenſationem: hoc cum dicat videat quæſo quomodo cohæreat cum alio dicto ſuo, quòd ſententia Senatus in foro exteriori iuſta fuit, cum etiam confirmatio, & ius per eam, ſecundum eundem, quæſitum, & compenſatio, vt putat, debita ad forum exterius pertinerent; ſed falſum eſt omnino actum illum nullum fuiſſe vnquam à Senatu confirmatum, ſicut latè poſtea oſtendendum erit, cum de hac re agemus: hinc omnia corruunt, quæ primo loco dicit, quòd ſcilicet confirmata ex diſpenſatione Senatus venditione illa, non potuit poſtea naturalis obligatio auferri: hæc autem, vt puto, procedunt ex errore facti, quia putauit verum, quod ei dictum fuerat à prædictis fratribus, literas illas diſpenſationis, de quibus agit, fuiſſe conceſſas antequam ego quicquam in cauſa facerem, quod tamen falſum eſſe ſatis ſupra oſtendimus

tendimus, cum de hac re ageremus. Præterea, inquit, quòd cum appoſitum ſit iuramentum, ille ſuperior, cuius authoritas excipitur, eſt Sum. Pontifex, ex dictis Panor. dict. cap. Quanto, nu. 8. verſ. Hæc tamen, & in fortioribus terminis Soc. conſ. 115. Ad hoc dicimus ſuperiorem, quò ad iuramentum promiſſorum, duplicem eſſe: alterum, qui facultatem habet cùm eo diſpenſandi, qui iurauit; alterum verò, qui facultatem habet non diſpenſandi, ſed irritandi actum iurantis, quæ diſtinctio communis eſt omnium Theologorum, & collegitur ex S. Tho. 2. 2. q. 89. ar. 9. ad vlti. & ex glo. & Doct. in cap. Conſtitutus, de Reſcriptis, & in voto quoq; locum habet, de quo idem prorſus dicitur à Theologis quod de iuramento. Diſtinctionis autem huius hæc eſt ratio, quia tam in voto, quàm in iuramento duo ſunt conſideranda, actus ſcilicet ipſe iurandi, vel vouendi, & materia ſuper quam cadit: Si actus conſideretur iurandi, vel vouendi, vterq; illorum eſt actus religionis, & præſtatur Domino Deo, atq; ideo vtriuſq; diſpenſatio ad eos ſuperiores pertinet, quibus in republica earũ rerum cura cõmiſſa eſt, quæ ad religionem pertinent, & in hoc vices Dei gerunt, qui ſunt in Eccleſia Dei Sum. Pont. & Epi ſinguli pro data eis à Domino facultate: Sin autem materia conſideretur, ea duplex eſſe poteſt; altera, quæ non eſt in poteſtate vouentis, aut iurantis

ſicut

ſicut contingit cum filius familias in ijs, quæ ſubſunt patris poteſtati vouet, aut iurat, vel cum ſeruus id, quod eſt in poteſtate Domini, & quilibet ſubditus in eo, quod ſubiectum eſt ſuperioris authoritati; altera verò, quæ eſt omnino in poteſtate vouentis, aut iurantis: Et quidem ſi de actibus agatur vouendi, aut iurandi, ſuperior Eccleſiaſticus adeundus eſt, præſertim verò Sum. Pont. qui in Eccleſia Dei plenitudinem poteſtatis habet, vt vel diſpenſet in ijs actibus, vel eoſdem commutet, prout ei iuſta cauſa, & ratione ſuadente viſum fuerit; & ad hoc ſemper eſt opus iuriſditione, cuius actus ſunt diſpenſatio, & commutatio, quibus non niſi iuſta ex cauſa locus eſſe debet; at ſi de materia agatur, quilibet ſuperior, ad quem materia illa pertineat, votum ipſum, & iuramentum poterit irritare, neq; ad hoc opus eſt aliqua iuriſditione, quia pater poteſt irritare votum, & iuramentum filij, Dominus ſerui, ſuperior quilibet ſubditi in eo, quod pertinet ad ipſius facultatem; vt de voto rectè ait S. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 8. cuius ſententia communis eſt omnium Theologorum: de iuramento verò idem, 2. 2. q. 89. ar. 9. ad vlt. quæ eſt etiam communis Theologorum ſententia. Hoc ſuppoſito, dico, quòd regula illa ex cap. Venientes de Iureiur. deſumpta, qua dicitur in omni iuramento intelligi ſemper exceptam authoritatē ſuperioris, quæ etiam in voto locum habet, intelligenda eſt de ſuperiore

riore quò ad materiam, non quò ad ipſum iurandi, uel nouẽdi actum, quod manifeſte colligitur ex eodem S. Tho. loc. cit. vbi dicit agens de voto, qđ quando ſubditus vouet aliquid, quod eſt ſubiectũ authoritati ſuperioris, ideo non peccat, quia cenſetur ſub conditione vouere, ſi ſuperior, quod factum ab eo eſt approbauerit, vel non improbauerit: idem quoq; intelligendum eſt de iuramento, cum de vtriſq; idem, quò ad hoc, ſit iudicium: & hoc expreſſe dicit glo. in c. Conſtitutus, de Reſcript. Quod præterea probatur Numer. 30. vbi dicitur, quòd ſi filia in domo patris exiſtens, in puellari ætate conſtituta aliquid vouerit, aut iurauerit, ſi cognouerit pater quod vouit, vel iurauit, & contradixerit, vota, & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur ſponſioni, eo quod contradixerit pater: idem quoq; dicitur ibidem de vxore reſpectu mariti: Ex quo diuinæ ſcripturæ loco tria colliguntur: primum eſt, quòd actus filiæ ſuper quos, tanquam ſuper materiam, cadunt eius vota, & iuramenta, patris authoritati ſunt ſubiecti, & actus vxoris authoritati mariti: alterum eſt, quòd hæc authoritas patris, aut mariti in votis, & iuramentis filiæ, aut vxoris excepta intelligitur, cum ex illa omnino pendeant: Tertium eſt, quòd propter hanc authoritatem pater filiæ, & maritus vxoris vota, & iuramenta ſua contradictione irritare poteſt, & cum hoc non pertineat ad

cæremonialia

cæremonialia, aut iudicialia legis antiquæ, ſed ad moralia potius, cum ſit ex lege naturæ deductum, rectè inde duo inferunt doctores Theologi: alterum eſt, quòd illud nunc quoq; in lege euangelica de votis, & iuramentis filiæ, & uxoris eſt dicendum; alterum uerò, quòd propter paritatem rationis illud idem dicendum eſt de uotis, & iuramentis cuiuſcunq; ſubditi reſpectu ſui ſuperioris, in materia ſuperioris authoritati ſubiecta: atq; ideo ſuperiore contradicente irrita reddentur uota, & iuramenta ſubditi in eo, in quo eſt ſubditus, quia in huiuſmodi uotis, & iuramentis de iure ſuperioris agitur, cui nihil detrahi poteſt ex uoto, aut iuramento ſubditi: atq; hæc eſt ratio regulæ illius, qua dicitur, In quolibet iuramento exceptam intelligi ſuperioris authoritatem: ſecus enim, ſi regula hæc ſecundum ſententiam D. Doctoris de ſuperiore Eccleſiaſtico tantum intelligenda eſſet, ſequeretur, quòd filia poſt patris, & uxor poſt mariti contradictionem, uoti, aut iuramenti præſtiti uinculo teneretur, & ſponſioni adhuc eſſet obnoxia, quod eſt aperte diuinæ ſcripturæ, omniumq; Theologorum ſententiæ contrarium: quòd ſi ſuperiore contradicente ſubditi iuramenta irrita redduntur, poſt eius contradictionem, aut mandatum contrarium ei, quod ſubditus iurauit, non erit opus aliqua diſpenſatione, vt rectè annotauit glo. à Doctoribus recepta in dict. c. Conſtitutus, de Reſcrip. uer. Iuramento,

Præterea hoc idem probatur ex tex. in c. Venientes de Iureiur. ab eodem D. Doctore allato, unde doctores regulam illam colligunt: ibi enim iuramentum erat præſtitum à Conſulibus illis, de quibus agitur, intra certum tempus mandandi executioni iudicis ſententiam, propter quod nolebant deferre appellationi ad Sum. Pont. interpoſitæ, qui in eo, quemadmodum patet ex glo. in caſu propoſito non erat adeundus tanquam Summus Pontifex, neq; propter iuriſditionem ſpiritualem, ſed ut dominus Ciuitatis illius in temporalibus, & propter temporalem iuriſditionem, quæ ratio in quocunq; alio domino poterit reperiri: & hoc mirum eſt D. Doctorem diſſimulare, cum ipſemet afferat c. Venientes, pro mea ſententia, & illud poſtea non interprætetur pro ſua, quia uerè non poterat alius intellectus afferri. Tertiò probatur hoc idem ex uerbis eiuſdem textus, unde hæc regula deſumitur, ubi dicitur, quòd in iuramẽto intelligitur ius ſuperioris exceptum: ex quibus manifeſtè colligitur, quòd nomen authoritatis in regula, de qua agimus, pro iure ſumitur, ut notat Abb. in c. Venientes, nu. 2. de Iureiur. & Dec. in c. Conſtitutus, nu. 4. de Reſcrip. Cum autem duo in iuramento promiſſorio reperiantur, ipſum ſcilicet iuramentum, & materia, ſuper quam cadit, in iuramentum ipſum nulli homini poteſt ius competere, cum ſoli Deo præſtetur, ſed tantùm in materiam, ſuper quam cadit: hic igitur

tur ſuperior, cuius in regula illa ſit mentio, intelligendus eſt quò ad materiam illius authoritati ſubiectam, qui poterit eſſe tum Sum. Pontifex, ſi materia illius authoritati ſubijciatur: tum alius quilibet ſiue Eccleſiaſticus, ſiue laicus, cuius iuri, & authoritati iuramenti materia ſit ſubiecta. Quartò probatur authoritate doctorum, in c. Conſtitutus, de Reſcrip. præſertim uerò Panor. nu. 8. et Fel. ibidem. nu. 10. in ſecunda ampliatione regulæ, de qua agimus, ubi ait locum habere ne dum in authoritate Papæ, ſed etiam alterius ſuperioris: et paulò infra in eodem num. verſ. Scias tamen, dicit hæc uerba: Scias tamen, inquit, quòd eſt una differentia in propoſito inter authoritatem Papæ, & authoritatem principis ſecularis, quia aut ſumus in caſu, in quo modò eſt excepta authoritas ſuperioris, ut potè quem materia ſubiecta tangit, & tunc bene de utraq; authoritate pariformiter iudicatur in hac materia; aut ſumus in caſu, in quo per ipſius ſuperioris authoritatē diſpēſari poteſt ſuper iuramento, & tunc non ſufficit narrare principi ſeculari de iuramento, adeo quòd eius authoritati liceat contrauenire; ſed in Papa ſecus: quibus uerbis manifeſte comprobatur diſtinctio à nobis ſuperius allata, & ſententia noſtra: hoc idem probat Dec. ibidem. nu. 4. & ſeq. idem quoq; dicunt Doctores in c. Venientes. de Iureiur. præſertim uerò Abb. nu. 3. ubi intelligit hanc regulam de quolibet ſubdito

reſpectu ſui ſuperioris, qui præ ceteris affertur; quia eſt teſtis à D. Doctore productus, & propterea nihil poteſt contra illum excipere, & cum hìc ſit locus proprius, ubi agit Abb. alijq; Doctores de hac regula, de qua agimus, ex profeſſo; mirandum eſt D. Doctorem locum proprium diſsimulare, & ad c. Quanto, de Iureiur. diuertere, ubi non agunt ex profeſſo doctores de hac regula, ſed Panor. obiter illam tangit in nu. 8. quem pro ſe affert D. Doctor, cum tamen cõtra illum Panor. authoritas faciat, ut mox infra dicturi ſumus: idem probat Io. Andr. in c. In malis. de Reg. Iur. lib. 6. in Mercurialibus, & Hoſtien. in ſum. Tit. de Iureiur. & Iaſ. l. fin. nu. 6. et ſeq. ff. Qui ſatis. da. cogan. & Sebaſt. Sap. in annot. ad Abb. in dict. cap. Conſtitutus, de Reſcript. qui expreſsè dicit ea regula non ſolum intelligendam eſſe exceptam authoritatem Papæ, ſed etiam cuiuſcunq; ſuperioris, cum alijs ab eo allatis: non igitur uerum eſt quod ait D. Doctor, ſuperiorem, cuius authoritas in regula illa excepta intelligitur, intelligendum eſſe ſuperiorem quò ad actum iurandi, qui eſt Summus Pontifex. Neq; uerò quod ait Panor. in c. Quanto, ſententiam eius ullo modo probat, imo uerò rectè intellectum improbat, & noſtram optime probat: ibi enim Panor. oblata occaſione ex glo. incidit in quæſtionem de abſolutione iuramenti, quærens an Summus Pontifex à iuramento poſsit abſoluere, ante cu-

lius ſententiæ declarationem præmittendum eſt, quòd quanuis Theologi, qui exactius res perpendunt, magnum diſcrimen agnoſcentes inter irritationem, & diſpenſationem, hos actus nunquam (quod ego animaduerterim) eodem nomine appellent, legum tamen humanarum doctores vtrunq; actum ſæpiſſimè abſolutionis nomine vocant, quorum propterea ſententia tum ex ſubiecta, de qua agitur, materia, tum ex verbis antecedentibus, & conſequentibus facile dignoſci poteſt: quod idem contingit in hoc loco Panor. de quo agimus, dum quærit an ſummus Pontifex poſſit abſoluere à iuramento: nomine enim abſolutionis tam irritationem, quàm diſpenſationẽ complectitur, atq; ideò in reſponſione ad queſtionem vtitur hac diſtinctione, quòd aut iuramentum ſeruari non poteſt ſine periculo animæ, vt in exemplis ab eo allatis, & tunc, inquit, non requiritur abſolutio, & ratio eſt, quia nullum adeſt vinculum, quod abſolutio ſemper præſupponit; aut poteſt ſeruari ſine interitu ſalutis æternæ, ſed aliàs erat temerarium, & perniciofum exemplo, vel periculoſum, & non debet cõtrauenire ſine authoritate ſuperioris in caſu dubio, aliàs non obligat, cum ſit contra bonos mores: aut, inquit, iuramentum eſt illicitum ex parte recipientis, ſed non ex parte præſtantis, & tunc non licet contrauenire ſine authoritate ſuperioris; aut eſt ex vtraq; parte licitum, & tunc aut fuit præſtitum

per

per inferiorem in materia ſpectante principaliter ad Papam : vt ſi iurauerint Canonici non recipere ali=quem vltra numerum, qui eſt caſus c. Conſtitutus, de Reſcript. et poteſt Papa etiam ſine cauſa abſolue=re, quia in tali iuramento intelligitur excepta autho-ritas Papæ, vt in c. Venientes, infra eod. quod ſic debet intelligi, etc. Ecce ſententiam noſtram compro-batam ex verbis ipſius, quòd ſcilicet regula illa ſit intelligenda de ſuperiore quò ad materiam, qui poteſt iuramentum irritare, quod manifeſtè poſtea indicant verba ſubſequentia, vbi dicit, quòd iuramentum præſtitum in alia materia ob Dei reuerentiam, & honorem non poteſt remittere ſine cauſa; ſi autem ſubſit iuſta cauſa poteſt à iuramento abſoluere : Ecce diſpenſationem : hoc enim intereſt inter hos actus, quòd diſpenſatio eſt actus iuriſditionis, atq; ideo non debet fieri niſi cauſa cognita, eaq; iuſta exiſtente, quia in hoc ſuperior non habet dominium, ſed tan=tùm eſt illi credita diſpenſatio, in qua debet eſſe fide=lis, alioquin peccat, de quò videndus eſt S. Tho. 1. 2. q. 98. ar. 4. & ibidem Bart. à Medi. Irritatio autem ſuapte natura non eſt actus iuriſditionis, ſed vt plurimum præſupponit dominiū in ſuperiore ma=teriæ; de qua agitur, & ideo ſine cauſæ cognitione pro libito ſuperioris fieri poteſt, quia agit de re pro=pria, in qua eſt moderator, & arbiter : & quod dixit Panor. de abſolutione Summi Pont. in mate-

ria ei ſubiecta, idem quoq; diceret de aliјs ſuperioribus, ſi de materia illis ſubiecta loqueretur, vt ex eodem colligitur in c. Venientes, de Iureiur. & cap. Conſtitutus, de reſcriptis num. ſupra citat. Ex quibus planè conſtat quàm bene authoritas Panor. à D. Doctore pro ſe allata ſententiam eius probet; manifeſtè enim illam improbat, vt oſtendimus: locum enim in eodem nu. 8. vbi interpraetatur regulam illam contra ipſum D. Doctor diſsimulat, & tranſit ad aliud membrum diſtinctionis, vbi agitur de materia ſuperioris authoritati non ſubiecta, & diſpenſatione iuramenti, quae fieri poteſt à Sum. Pontifice, & ab Epiſcopo; hoc tamen inter ipſos conſtituto diſcrimine, quòd in factis magnarum perſonarum, vel dubiјs diſpenſatio ad Sum. Pontificem pertinet, quod nihil prorſus ad rem noſtram facit, cum non eſſet probandum D. Doctori, quando, & quibus caſibus iuramenti diſpenſatio ſit Summo Pontefici reſeruata, ſed potius regulam illam, quae in iuramento intelligitur excepta authoritas ſuperioris, de ſuperiore quò ad actum iurandi (ſecundũ ipſius ſententiam) intelligendam eſſe, non autem de ſuperiore quò ad materiam iuramenti; ſicut nos dicimus ſecundum communem doctorum ſententiam.

Neq; authoritas Soc. conſ. 115. quicquàm ad eiuſdem ſententiam comprobandam facit: ibi enim conſultus Soc. de quadam muliere, quae in minori aetate

conſtituta, quædam bona immobilia alienauit, interueniente tamen iudicis decreto, & curatoris conſenſu accedente, qui contractus fuerat iuramento firmatus, ob cuius impugnationem quærebant ab Epiſcopo eius hæredes diſpenſationem, ſiue abſolutionem iuramenti; reſpondit nullo pacto concedendam eſſe, quia contractus aliunde, etiam ſine iuramento, validus erat, cum interceßiſſet decretum iudicis, & curatoris aſſenſus, & ideo diſpenſationi locus non erat; tum quia etiam ſi propter accedens tantum iuramentum confirmatus fuiſſet, ſi res erat dubia, non debuit concedi, vel a Summo Pontifice tantum poterat impetrari, eòq; magis quòd fruſtra petebant hæredes abſolutionem illam iuramenti, quod ipſos non afficiebat, ſed tantum iurantem, quæ defuncta erat, affecerat: Quæ certè quid ad rem noſtram faciant non video, quia mulier illa contraxerat in materia, quæ non erat ſubiecta principis authoritati, ſed ipſius tantum ſuberat facultati, atq; ideo in eius actu non fuit intellecta excepta ſuperioris authoritas, ſed abſolutè validum erat, quod fecit; nos autem hic agimus de materia reſeruata principis authoritati, vt in ſecunda noſtra propoſitione diximus; neq; agimus de diſpenſatione, ſed de irritatione, quæ facta fuit decreto Senatus, cuius authoritati materia, de qua agimus, ſubiecta erat: ex quibus planè conſtat nihil eorum, quæ D. Doctor reſpondit ad argu-

mentum

mentum prò me factum, obſtare, quò minus Senatus iuramentum in re ſibi ſubiecta præſtitum potuerit irritare, ſicut fecit decreto, quod D. Doctor dicit (vt debet) eſſe iuſtum; Et cum res ſit omnibus Theologis peruia, neq; in controuerſia poſita, non erit opus amplius immorari, vt rem adeò tritam pluribus comprobemus. Neq; verò quod præterea dicit aliquid valet, cum loquitur de ſuperioris facultate, quò ad ius quæſitum auferendum, quia hoc nihil ad rem noſtram facit, in qua nullum prorſus ius eſt quæſitum tertio, ſicut ſupra diximus: atq; hæc de ſecunda vniuerſæ huius diſputationis parte dicta ſint.

Iam verò tertiam, & poſtremam aggrediamur: Dicit itaq; D. Doctor, rationibus, quas pro me attulit, nuſquã refragantibus, opinari ſe concludendũ in foro conſcientiæ me tutum non eſſe, pleriſq; fundamentis motum iudicio ſuo bene concludentibus: rationes igitur, quas affert, quàm benè concludant, videamus.

Prima eius ratio eſt hæc: Conſidero, inquit, quòd Antiſtes poſt iudicium Excellentiſſimi Senatus, etiam in ijs, quæ ad forum animæ reſpiciunt, votum Illuſtriſſimæ ac Pientiſſimæ Pœnitentiariæ in eadem re poſtulauit, & votum à præexcellenti Nauarro datum ſit, neq; adhuc eius animus quieuerit, ſed aliorum vota requiſierit, vt ex literis ad R. D. Bonauenturam ſcriptis apparet; conijcitur euidenter dignitatem ſuam habere ſtimulum remordentem, ac

motum illum pungentem, qui loquitur intra ſe, qui legem conſcientiæ oſtendit, etc. Hic mihi cum multa ſe ſe offerant dicenda, vnum tamen in primis occurrit, quòd prædictus D. Doctor ex Baldi ſententia de conſcientia dicit, eſſe eam ſecretum ſecretorum: & rectè ille quidem, pleraq; enim ſecreta non niſi per accidens ſunt occulta, quia ipſa quidem ſenſibus ſubeſſe poſſunt, per accidens autem eſt, quòd nemo adſit, qui illa audiat, vel videat; conſcientia verò alterius adeo per ſe occulta eſt, vt ſoli Deo ſit cognita, iuxta illud 1. Reg. 16. Homines vident, quæ apparent, Deus autem intuetur cor. Hoc ſecretum ſecretorum quomodo eſt D. Doctor noſter ingreſſus? Vnde illi patuit aditus? qui ſe profitetur cordis mei ſcrutatorem, & eiuſdem intima ita penetrare, vt in me dicat eſſe ſtimulum conſcientiæ remordentem. Certè ſpiritus meus contrarium mihi dictat, & ſemper dictauit; oppoſitam ſcilicet opinionem falſam omnino eſſe: Vtri igitur magis à me credendum erit?
an *mihi ne ipſi de me potius, quàm D. Doctori? Certè ego ex ſcripturis noui, quòd nemo ſcit quid ſit in homine (præter Deum) niſi eiuſdem hominis ſpiritus: illi igitur potius, quàm prædicto D. Doctori, credo: At dicet ille fortaſſe, non me profiteor alieni cordis ſcrutatorem, neq; hoc dixi, ſed tantum dixi ex perquiſita illa ſententia tum Romæ, tum Papiæ, ſtimulum hunc remordentis conſcientiæ adeſſe, conij-*

ciendum

ciendum eſſe. Hic mihi nunc mirandum videtur, quòd tam cito D. Doctor oblitus fuerit diſcriminis ab ipſo allati inter forum conſcientiæ, & exterius, quòd ſcilicet in foro exteriori præſumptionibus, & coniecturis locus ſit, in interiori verò nullus omnino eiſdem locus relinquatur, ſed rei tantum veritas, & non fictio attendatur, quod etiam ex doctorum ſententia, quos ipſemet ad hanc rem comprobandam attulit, confirmatur: Quomodo igitur nunc tam facilè illius diſcriminis oblitus, ex ſolis coniecturis motus argumentum deducit ad probandum me in peccato eſſe? An hoc eſt argumentum, aut fundamentum, vt ipſe dicit, iudicio ſuo benè concludens? Certè, ſi aliud nunc iudicium eſt de foro conſcientiæ apud eundem Doctorem, quàm antea fuit, ſibi non conſtabit. Sed fortaſſe dicet ſe non quacunq; coniectura motũ, ſed euidenti, quod ex verbis eius colligitur, cùm dicit, quòd ex petitionibus meis hoc conijcitur euidenter: Sed quæſo D. Doctorem: an non potuit alia eſſe petitionum mearum cauſa? Ego ingenuè dico non illam fuiſſe cauſam; quòd ſi mihi vult de me ipſo credere, conſilij mei rationem tandem aperiam. Non ceſſabant fratrum, pro quibus ſcribit, contra proprium Epiſcopum obloquutiones: contra eundem argumenta illa, quæ Excellentiſſimo Nauarro ſoluenda propoſui, aut illorum pleraq; eidem obijciebant; Theologos omnes, quos ipſi ſe dicebant conſuluiſſe, affir-

mabant contra me ſentire, & hæc in triuijs, & plateis ſummopere curabant ab omnibus audiri, & credi, vt Epiſcopi famæ detraheretur: Hæc vbi ad me allata ſunt, cum viderem mihi illos hac in re nihil omnino credere, ab alijs rationes illas ſoluẽdas curaui, quorum authoritas videri non poſſet aliqua ex parte ſuſpecta; atq; ideo ſacræ Pœnitentiariæ prætoriũ conſulendum duxi (paratus nihilominus à ſententia mea omnino recedere, ſi eidem prætorio oppoſita magis probaretur) atq; illud edendum, quòd hac in re doctiſſimus Nauarrus reſponderat, vt hac ratione & ipſi quieſcerent (quod certè ego putabam) alijq; nouiſſent nihil omnino fidei in ijs, quæ contra proprium Epiſcopum obloquebantur, eiſdem adhibendum eſſe; atq; hoc poſterius ex animi ſententia ceſſit: ex facti enim vera narratione, & tanti uiri iudicio rei veritas detecta eſt, & omnibus, qui non affectione aliqua, ſed iuſtè rem ipſam perpendebant, quàm iniuſtè prædicti fratres contra proprium Epiſcopum obloquerentur, innotuit: prius autem, quòd ſummopere cupiebam, vt ipſi quieſcerent, non ſum aſſecutus, imò ex edita illa doctiſſimi Nauarri ſententia magis accenſi ſunt ad cœptam, & inſtitutam Epiſcopi detractionem; ſeq; nunquàm quieturos dixiſſe ad me allatum eſt, niſi ipſi contraria ſcripta edenda curaſſent, maxima etiam eorum impenſa, idq; Papiæ illos facturos intellexi; quòd cum fieri non poſſet

ſine peccato, ne id a prædictis fratribus, & à Doctoribus, quos ipſi conſuluiſſent, fieret, ad dictum Præsbyterum regularem Bonauenturam literas ea de re dandas curaui, ne quis incautè in Epiſcopi detractionem incideret, ſine qua certiſſimum apud me erat fieri non poſſe, quod prædicti fratres moliebantur: & cum vidiſſem hoc non ſufficere apud prædictum D. Doctorem, cui omnino intelligebam decretum eſſe de hac re ſcribere, eundem monendum curaui, ne id faceret, cum hæc tractatio non ad ipſum, ſed ad Theologos pertineret; neq; hoc ab vllo ſine peccato fieri poſſet; quod tamen ne hac quidem ratione ſucceſſit: Hæc igitur fuit in illis petitionibus conſilij mei ratio, non ſtimulus conſcientiæ remordens, vt prædictus Dominus Doctor abſq; vllà ratione dicit, quod certè & ipſe ex duobus multò melius coniicere potuit, quàm ex rationibus, quas affert, quod coniecit: alterũ eſt publica ſententiæ doctiſſimi Nauarri æditio: quo enim illa niſi ad ea, quæ dixi, ſpectare potuit? alterum uerò eſt, quòd prædicto Præsbytero regulari reſpondi ad eiuſdem de hac re literas ad me datas: ibi enim rationibus, meo iudicio, ſolidis, & doctorum authoritatibus allatis, ſatis me oſtendiſſe puto, nihil prorſus me de hac re dubitare. At fortaſſe dicet D. Doctor hanc vtriuſq; petitionis rationem coniicere non potui, quia factum ipſum, vnde pendet, ignorabam: Sed, ſi hoc fortaſſe dicit, videat

at quæſo quis nam ei locus ſit excuſationi, cum ſe dicat meis etiam literis motum ad ſcribendum, à quo propterea quærenda prius erat cõſilij mei ratio, quàm ignoto facto ſcribere id, quod ſcripſit. At demus interim excuſationi prædicti D. Doctoris locum aliquem, quò ad eam, quam attulimus, conſilij noſtri rationem ignorandam; an non poterat eſſe locus benigniori earundem petitionum mearum interpratationi, quàm vt me exiſtimaret remordentis conſcientiæ ſtimulis actum id feciſſe? planè fuit, ſi eidem apud eundem locus aliquis datus eſſet: an non putare potuit, imò & debuit, illam eſſe meam opinionem; quàm proprijs factis oſtendi, cùm in Excellentiſſimo Senatu petij, vt domus mihi pro meo Epiſcopatu venderetur, & cum decreto ea in re mihi à Senatu ex animi ſententia conceſſo domum pro meo Epiſcopatu emi? quibus à me actis ſatis oſtendi meam hanc eſſe opinionem, quòd tuta conſcientia omnia fieri poſſent, quibus magis, quàm petitionibus illis pro libito ab eodem D. Doctore intellectis, moueri debuit ad conijciendum: qua exiſtente in me opinione, an ignorat prædictus Doctor diſcrimen fidei, aut ſcientiæ, & opinionis, quo ad aſſenſum, & adhæſionem intellectus, cuius meminit S. Tho. 2. 2. q. 1. ar. 4. qui in fide, & ſcientia adeò firmè proprys obiectis adhæret, vt formidini oppoſiti non ſit locus: in opinione verò proprio obiecto adhæret

hæret quidem, ſed cum aliqua oppoſiti formidine, quæ poteſt eſſe ratio optima, quare viri etiam multò me doctiores propriæ ſententiæ non fidant, atq; ideo aliorum ſententias cupiant intelligere, cum præſertim (vt ingenue fatear) is ego ſim, cui propria ſententia in alijs quoq; vileſcat, paratus ſemper ab ea recedere, ſi recta ratione ſuadente id fieri poſsit. Aliud eſt autem ſtimulus conſcientiæ remordentis, vt hìc intelligit D. Doctor, & aliud formido oppoſiti, quæ in opinione reperitur, ut notum eſt ex ijs, quæ doctores Theologi pleriſq; in locis hac de re dicunt: ſtimulum enim hìc conſcientiæ D. Doctor, & conſcientiam idem eſſe putat, quæ tamen, vt notum eſt omnibus Theologis, ſunt valdè diſtincta, quia in ſtimulo non eſt adhæſio ad alterutram partem contradictionis, ſicut in conſcientia, ſed tantùm quædam mentis titubatio: ſiſtentes igitur in impropria hac ſignificatione ſtimuli cõſcientiæ, in qua hæc duo inter ſe valde diſtincta D. Doctor confundit; dicimus in hoc diſtingui conſcientiam, & eius ſtimulum nunc pro eodem ſumpta; in illo enim ſtimulo, de quo loquitur et oppositi formidine: *D. Doctor, intellectus oppoſito omnino adhæret, & inde oritur ad culpam obligatio, quia omne, quod eſt contra fidem, ideſt conſcientiam, peccatum eſt: in formidine verò contra ſe res habet, quia intellectus adhæret obiecto formidini contrario, non tamen ita firmè, vt omnem oppoſiti formidinem excludat, &*

propterea

propterea fieri poteſt, vt aliquis ſententiam aliquam ſequatur, & tamen adhuc quærat quæ ſit aliorum ea de re ſententia, quod tantum abeſt, vt ad pecca= tum obliget, vt potius dignus ſit laude, qui non ſit in ſua ſententia pertinax: quæ formido in opinione exiſtens non impedit aſſenſum operantis quò minus in oppoſitum eidem obiectum feratur, & eidem verè adhæreat: atq; hoc magis credere debuit prædictus Doctor, ſi veram facti rationem ignorabat, cum præſertim literis ad Illuſtriſſimum Sum. Pœnitentiarium datis ego dicam hanc meam eſſe firmam ſententiam, cui potius credendum erat, quàm leuibus coniecturis. At videat D. Doctor ne in eo, quod de alieno peccato propter leues coniecturas iudicat, ſe iuſto Dei iudicio iudicandum præbeat, cum non poſ= ſit euitare peccatum, qui firmè, leuibus coniecturis ductus, alium putat eſſe in peccato: hoc enim dicitur iudicium temerarium, quod quanuis non ſit ſemper peccatum mortale; in hoc tamen caſu vix illud euitari poſſe videtur ex facti ipſius circunſtantijs: adeſt enim rei grauitas, quia putat alium eſſe in peccato mortali, cum non debeat: oſtenditur præterea adhæ= ſio firma illis verbis, vbi dicitur, quòd hoc conijci= tur, non quocunq; modo, ſed euidenter: quod tamẽ an ita ſit, ipſe D. Doctor viderit: ſi enim hoc ita eſt, peccatum mortale erit, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 60. ar. 3. & 4. & Sot. lib. 3. de Iuſt. & iur. q. 4.

art. 3.

art. 3. Quod autem in eodem argumento ait, teneri eum, qui conſcientiæ ſtimulis agitur, conſcientiam deponere ad conſilium prælati, non cuiuſcunq;, ſed ſuperioris ex c. Inquiſitioni, de Sent. excom. quanuis ad rem noſtram nihil faciat, qui Sum. Pænitentiarium in hac re ſuperiorem adiuimus, & his conſcientiæ ſtimulis hac in re non agimur; tamen ne veritati in hac quoq; parte deſimus, dicimus non ita arcte hoc intelligendum eſſe, vt cenſeatur Sum. Pontifex in c. illo Inquiſitioni, de Sent. excom. omnibus, in ſingulis conſcientiæ ſtimulis, neceſſitatem imponere prælatum proprium adeundi, ita vt tuti non ſint ſi alio modo conſcientiam deponant, ſicut D. Doctor putat: nam conſilio etiam peritioris poterit aliquis vti ad conſcientiæ ſtimulum deponendum, vt dicit D. Bonauent. 2. Sent. diſt. 39. q. 3. vbi Theologi de hac re agunt, et Ioan. Maior ibidem q. 2. & Ioan. Gerſ. loc. infra citan. verſ. Secundus modus. Præterea tradunt Theologi plures regulas deponendi conſcientiam, inter quas una eſt hæc, vt ſtudio, & meditatione rei, de qua agitur, & omnium quæ illi adiacent exacta perpenſione conſcientiam deponat, vt recte docet Io: Gerſon. 2. p. in tract. de Natura, et qualitate conſcientiæ, alphabeto mihi 29. poſt medium, litera 9. verſ. Primus eſt ex ſe ipſo per fortem ſcilicet, & feruentem meditationem; vbi docet ex ſe

ipſo dicta ratione poſſe aliquem conſcientiam depone=re, contra id quod D. Doctor ait: idem tradit Io. Mai. ſecundo ſent. diſtinc. 39. quæſt. 2. circa fin. verſ. Dubitatur an homo poſſit deponere conſcientiam ſuam &c. & Anton. 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. regu. 4. quem ſequitur Sylueſ. in ſum. verbo. Scru=pulus, & doctiſſimus Nauarrus in Enchir. c. 27. nu. 286. ex quibus manifeſtè probatur & ſtimulum conſcientiæ, qui ſcrupulus dicitur, & conſcientiam ipſam deponi poſſe ex ſe ipſo, labore, & ſtudio adhi=bito, ſi quis peritiam diuinæ legis habeat, vnde poſ=ſit dubitationem ſtudio pellere: & profectò, ſi eſſet vera ſententia illius, nimis arcta eſſet via ſalutis il-lis, qui, cum ſint ad bonum propenſi, plerunq; hiſce ſti-mulis aguntur; iuxta illud D. Gregorij: Bonarum mentium eſt ibi timere culpam, vbi culpa non eſt; ſi neceſſariò ſemper eſſet adeundus propriùs prælatus, et non ſufficeret uirũ doctũ, & prudentẽ conſulere, cuius conſilio ſtimulus deponeretur: Videmus etiã in agen-dis, & arduis, vbi peccati periculum imminere po=teſt, totius Eccleſiæ Dei prælatos peritos viros con=ſulere, quorum conſilio quieſcentes, omnem animi contrariam dubitationem deponunt; qui ſi omnes in ſingulis hiſce actibus Summũ Pontificem adire ne-ceſſariò deberent, nimis operoſum illi, ipſis verò conſulentibus arduum eſſet: quod cum totius Eccle=ſiæ contraria conſuetudine improbetur, non eſt cur

D. Doctor

D. Doctor tam arctam ſingulis neceßitatem impo-nat. Deceptio verò D. Doctoris inde prouenit, quòd ex uerbis illius decretalis Inquiſitioni, de Sent. ex com. ipſe infert neceßitatem medij, aut præcepti, omnibus impoſitam, cum tamen ſit merum conſilium à Sum. Pontifice in facto, de quo ibi agitur, datum, qui non poterat probitati, & prudentiæ, atq; doctrinæ aliorum, qui forte erant in illa diœceſi, tantum fide-re, quantum proprij illius prælati, qui iam Sedis Apoſtolicæ iudicio fuerat approbatus. Hic autem vnum venit in mentem, quod D. Doctor dixit, cum probare conaretur iudicium eorum, quæ ad forum conſcientiæ pertinent, ad legum humanarum Docto-res pertinere: ibi enim ex ſententia Ang. conſ. 181. dixit rectè illum agere, qui conſuluit Iuriſperitos in viam conſcientiæ pro animo, & iuſto mouetur propoſito, & intentione ſancta; ex quibus verbis à D. Doctore pro ſe allatis mihi colligendum videtur, uel ex ipſius ſentẽtia: ſi quis deponeret conſcientiæ ſtimu-lum ex conſilio Iuriſperiti, quem conſuleret, iuſtè ageret, etiam ſi non adiret proprium prælatum: quod qua ratione cum hoc, quod nunc dicit, cohæreat, ipſe viderit: & hæc ſufficiant de prima D. Doctoris ra-tione, iudicio eius benè, meo verò malè concludente, cum ex coniecturis tantùm, & eiſdem leuibus, in ijs, quæ pertinent ad forum conſcientiæ, depromatur.

Secunda eius ratio eſt; In materia conſcientiæ, inquit,

qui contrauenit naturali obligationi, quæ habet originem à conſenſu, vel à pacto quanuis nudo, vel à iureiurando, & contra talem obligationem quicquam retinet, graue peccatum committit, etiam mortale, ſecundum Bar. &c. & ne ſingula verba referam, hoc eſt illud, in quo forũ interius à foro iuditiali differt; quia in foro conſcientiæ ſola naturalis obligatio attenditur, quod voluit glo. in c. Quicunq; 17. q. 4. cum alijs ab eo adductis, quod tot confirmationibus non indiget, cum in re non dubia teſtes non ſint neceſſarij, in foro autem exteriori non ita attenditur; (in facto tamen noſtro coram principe attendendam eſſe iam oſtendimus) et cũ D. Petrus Camillus ex eo, quod egit cum fratribus Barratis, hanc obligationem naturalem contraxerit ortam ex cõtractu ſtipulatione, iuramentis, promiſſionibus, & alijs clauſulis communito, non potuit tuta conſcientia impediri, ne id præſtaret, quod pollicitus fuerat; ego igitur impediens effectum illius uenditionis prioris, cõtra obligationem naturalem ita communitam feci; ergo & ego peccaui: & confirmatur hæc ratio ab eodem: quia ſi graue peccatum committit, qui rem contra naturalem obligationem ſolo conſenſu, & pacto nudo, & ſolo iureiurando ortam, vt Bart. pro conſtanti habet &c. multò magis graue, & mortis peccatum committit, nec tuta conſcientia dici poteſt in foro animæ, rei, de qua agitur, detentio: Hic autem cum nihil

probet,

probet, quod probandum erat, obligationem ſcilicet naturalem, qualem ipſe aſſerit, ortam fuiſſe, ſed in tertium argumentum omnes probationes referat, parum mihi dicendum videtur, cum ſola negatione eius, quod aſſumit, ſatis mihi reſponſum eſſe uideatur: Vnum tamen non omitto me tantum in Senatu Excellentiſſimo petijſſe domum ipſam, de qua agimus, qua ſummopere meus Epiſcopatus indigebat, pro eodem mihi vendi, cum res adhuc integra eſſet, ſi tamen iuſtum hoc, quod petebam, ampliſſimus Ordo ille iudicaſſet, qui auditis partibus decreuit ita fieri: princeps ergo quod ad ſolius ipſius facultatem pertinebat, egit: ipſe domum mihi decreuit vendendam, decretumq; ipſius iuſtum fuit, vt etiam ipſe D. Doctor veritate cogente fatetur, non tantum in foro exteriori, ſed in interiori quoq;, cum in hoc facto idem ſit vtriuſq; fori iudicium, vt ſupra oſtendimus: Vnde igitur oritur hæc iniuſta retentio? hæc reſtituendi obligatio? cum cauſam eius iuſtam eſſe D. Doctor fateatur, qui fieri poteſt, vt iuſta cauſa, in eo ipſo, in quo iuſta eſt, effectum pariat iniuſtum? Sed quoniam huius argumenti probationes in tertium argumentum ſunt dilatæ, illarum tandem animaduerſionem aggrediamur.

Tertia eius ratio eſt: Quãuis pro mea parte p̃ſupponatur venditionẽ illam prædictis fratribus à D. Petro Camillo contra prohibitionẽ expreſſam teſtatoris factã,

nullius

nullius fuiſſe momenti; attamen negotio, inquit, pro uirili conſpecto, pro conſtanti tenendum eſt vendi=tionem illam uenditorem ad eius obſeruationem obli=gaſſe, quod oſtenditur, inquit, in primis; quia pro-hibitio alienationis non impedit quò minus in præiu=dicium vendentis contractus valeat; vt in notabili caſu firmat Bal.in c.Imperialem col.fina.verſ.Quæ-rit glo. de Prohib. feu. alienat. per Feder. & ſequi=tur Dec. conſ. 185. nu. 6. & in proprijs terminis, quòd res prohibita alienari in præiudicium alienan=tis, vel conſentientis teneat alienatio: Caſus eſt in l. Quoties, la prima, & ibi Iaſ. in 2. limit. habet pro abſoluto, cum alijs ab eodem adductis. Hic ego ab eodem D. Doctore quæro in primis; an putet leges illas, quas affert, & doctorum ſententias ad forum exterius pertinere, quod credo illum negare non poſ-ſe, quoniam hæ ſunt illæ leges, quas iudex in firman=dis ſuis ſententijs, vt ipſe dixit, attendit: ſi igitur hæ tantum in foro exteriori iuris prædictis fratribus tribuunt, & eaſdem publicas leges Senatus attende=re ex eiuſdem ſententia debuit; quomodo ſententia eius iuſta eſſe poterit in foro etiam exteriori? quòd tamen D. Doctor affirmat: videat igitur ne dum me putat his probationibus impetere, Senatum ipſum, eiuſq; iuſtam ſententiam iniuſtè inſectetur. At ne forte me dicat his verbis diuerticula quærere, vt ar-gumenti vim effugiam; reſpondeo; allatum eſſe diſ-

crimen

crimen à me in quæſtione propoſita Sacræ Pænitētiariæ prætorio, inter fideicommiſſum ſimplex, & expreſſam teſtatoris alienandi prohibitionem factam ex cauſa, quæ non reſpiciat fauorem hæredis, aut ſubſtitutorum: quod etiamſi concedatur prohibitionem ex fideicommiſſo ſimplici prouenientem, aut factam hæredis tantum, aut ſubſtitutorum fauore, actui ipſi contrario alienandi ab initio non reſiſtere; illud tamē de expreſſa prohibitione teſtatoris facta ex cauſa, quæ non reſpicit hæredis, aut ſubſtitutorum fauorem, dici non poteſt: hæc enim ita ab initio actui reſiſtit, vt nullum omnino pariat iuris naturalis, aut ciuilis vinculum, ſicut in ſecunda propoſitione noſtra probauimus, & pro conſtanti etiam aſſeruit tenendum in ſua reſponſione doctiſſimus Nauarrus ex communi doctorum ſententia, tum in l. Filiusfam. §. Diui, il 2. tum alibi etiam: Qua diſtinctione ſuppoſita tanquam vera, & quam non video improbatam à prædicto D. Doctore; dicimus tum tex. ab eo allatum in l. Quoties, la prima C. de Fideicom. tum etiam doctrinas omnes, quas affert in quatuor comprobationibus huius tertij argumenti, à prima ſcilicet vſq; ad quartam incluſiue, intelligi debere de prohibitione facta propter merum fauorem hæredis, aut ſubſtitutorum, ſicut patere poterit manifeſtè cuicunq; intuenti verba, tum tex. illius, tum Doctorum, quos D. Doctor affert, quo in caſu, cum quilibet renun-

tiare fauori ſuo poſſit, poteſt fideicommiſſarius eidem fauori renuntiare, ita ut alienatio non ſit ipſo iure nulla, ſed irritanda poſtea petentibus alijs., cum eorum intereſſe cæperit: in facto autem noſtro ſecus omnino contingit, cauſa enim expreſſa à teſtatore fauorem ipſiuſmet teſtatoris reſpiciebat, ut patet ex cauſa his verbis expreſſa: Quia vult, inquit, quòd ipſa bona, Roſta, et ipſum Palatium in perpetuum conſeruentur in ipſum D. Antonium eius hæredem, ac eius filios maſculos, vel infraſcriptum ſubſtitutū, ad effectum vt conſeruentur dicta bona in eius D. teſtatoris memoriam, & propterea vult, quòd d. D. Antonius a modò in antea, et poſtquam factus fuerit hæres, vtatur inſignijs, et armis ipſius D. teſtatoris illorū de Sachis, ſaltē pro parte; q̄d idem poſtea præcipit de ſubſtitutis: ex quibus uerbis manifeſtè colligitur cauſam prohibitionis prædictæ merum fauorem teſtatoris reſpicere, memoriam ſcilicet eiuſdem teſtatoris in hac domo conſeruandam, quæ publicè vocabatur palatiū AEquitis Sachi: cum autē ex eodem filij nō extarent, memoriæ ſuæ, quò ad poterat, conſultum eſſe voluit ratione in teſtamento præſcripta; et etiamſi ex illis uerbis fauor mixtus eliceretur, hæres proprio ab hoc inſeparabili renunciare non poſſet, vt ſupra diximus. Quanuis autem vniuerſali hac reſponſione ſatis reſponſum eſſe arbitrer ad textum, & doctrinas in quatuor comprobationibus ab eodem Doctore

tore

tore adductas, reſpondendum eſt tamen ſingillatim ad nonnulla ab eo adducta, quæ præ cæteris reſpõſionem exigere videntur: Quorum omnium primum eſt, quod ait Bal. in c. Imperialem, verſ. Quærit glo. de Prohib. feud. alien. per Feder. quod dicimus ſententiam prædicti D. Doctoris non comprobare, cũ ad rem noſtram non faciat: ibi enim loquitur Bal. *de emptore, qui bona fide emit, ignorans rem ipſam alienari non poſſe, vt patet tum ex tex. eiuſdem cap. et glo. tùm ex l. Et liberi hominis, ff. de Contra. empt. & alijs ibidem ab eodem adductis, quæ de emptore bonæ fidei intelliguntur, qui ignorabat rem, quam emit, prohibitam alienari: ſecus autem, imò oppoſitum contingit in caſu noſtro, quia rei ipſius qualitatem optime nouerant fratres, de quibus agitur, & quò ad hoc dicendi ſunt malæ fidei, quia contra legis, & teſtatoris prohibitionem contrahebant, vt probat tex. in l. Quemadmodum C. de Agric. & cenſ. lib. 11. & quod ex hoc petere poterant nihil aliud erat, niſi vt reſtituerentur eis pecuniæ, ſi quas exoluerant, à venditore & non ab alio, iux. tex. in l. fin. §. fin. C. Com. de Lega. quod, an fieri poſſet, niſi in contractu nullo, de quo agitur, excepta fuiſſet principis authoritas; difficultate non careret, propter tex. in l. 1. C. de Præſcrip. xxx. annorum. in l. 1. C. de Præd. Decur. lib. 10. in dicta l. Quemadmodum C. de Agric. & cenſ. in l. Nemo C. de Fund. rer. priua.*

lib. 11. vnde probatur pretium pro vitioſo, ſeu in-
terdicto contractu datum amitti, & repeti non poſ-
ſe; ex quibus etiam manifeſte patere poteſt quàm iu-
ſtum, & omni ex parte abſolutum fuerit decretum
Senatus Excellentiſſimi, quo decreuit domũ ipſam,
de qua agitur, vendendam eſſe Epiſcopo, modo illam
acquireret Epiſcopatui, & ſi quid pretij exolutum
eſſet, reſtituendum: Tria enim iuſtiſſimè hoc decre-
tum complectitur. Primùm eſt, quòd in eo declara-
tur contractum fuiſſe nullum; cùm contra legis, &
teſtatoris prohibitionem eſſet, & propterea vendito-
rem ad contractus obſeruationem non cogit, imo cum
hoc ad facultatem ipſius pertineret, quod factũ fue-
rat omnino irritat. Secundum, quòd cum excepta
fuiſſet authoritas ſuperioris, pacto inter partes exp̃ſ-
ſo, fraudem à contrahentibus abeſſe cenſuit, & ideo
decreuit, ſi quid pretij datum fuiſſet, reſtituendum,
iuxta tex. in dicta l. fin. §. fina. C. Com. de Legat.
quæ reſtitutio, cum ex dicta l. ad venditorem perti-
neat, mirandum eſt, quòd D. Doctor nulla ratione
motus ad me dicat illam pertinere, tantùm ut ſuis
conductoribus morem gerat: quod quàm ſincerè, &
pro veritate fiat ab eo, qui ſe profitetur ſincerè, &
pro veritate ſcribere, iudicent alij: mihi certè nihil
minus ſincerum, nihil magis à veritate alienum ui-
detur illum ſcribere potuiſſe: nam ſinceritati quidem
hac in re intelligendæ ne benigna quidem, imo coac-

ta

ra interpretatione locus apud me relictus eſt ullus, niſi prædictum Doctorem velim eorum, quæ ad reſtituendi obligationem pertinent, ignarum putare; quod de Doctore cogitare non debeo, in re præſertim, in qua conſultus, non excogitatis modo, ſed elaboratis quoq; ſcriptis reſpondit: à veritate autem hoc, quod dicit, omnino alienum eſſe nō dubito: cum enim duo tantum ſint ſumma, & præcipua capita, ad quæ omnis reſtituendi obligatio reducitur, res accepta videlicet, & acceptio ipſa, vt colligitur ex doctrina Sancti Tho. 2. 2. q. 62. ar. 6. & ibidem D. Gaiet. annotauit, quem ſequitur Sot. lib. 4. de Iuſt. & iur. q. 7. ar. 2. neutrum horum capitum ad me poteſt pertinere: non enim dicendum eſt ratione rei acceptæ me debitorem eſſe, quia peccuniæ illæ, quas dicit prædictus Doctor me debere, neq; apud me extant, nec vnquàm extiterunt: neq; etiam ratione acceptionis ego dicendus ſum debitor, cum nihil harum pecuniarum à prædictis fratribus acceperim, neq; hac in re aliquid egerim, imo quid in hoc actum ſit inter D. Petrū Camillum, & prædictos fratres ignoro, ſed tantùm ſcio D. Epaminundam quaſdam pecunias voluiſſe ſoluere, & D. Petrum Camillum depoſuiſſe ſuo nomine dictis fratribus ſoluendas, ſi apocha quædam illi reſtitueretur: quæ quid contineat ego prorſus ignoro: quare vel hanc ego D. Doctoris Theologiam non intelligo, vel ipſe in hac re minus

ſincerè, & contra veritatem ſcribit. Tertium cum uoluntas teſtatoris, eiuſq; prohibitio adeo cuſtodiri debeant, vt ne principis quidem authoritate, niſi cauſa publicæ vtilitatis tolli, aut mutari poßit, vt infra oſtendetur, & in priori nulla venditione hac cauſa non adeſſet, merito propter priuatorum tantùm commodum hoc non erat concedendum: cum verò bona Eccleſiæ ſint publici iuris. tex. cum glo. in cap. Quid ergo 23. q. 4. Afflic. deciſ. 19. nu. 4. Iodoc. in Enchir. par. ver. Eccleſia, & respublica, & cauſa Eccleſiæ publicis æquiparetur l. fi. C. de Sacroſ. Eccl. Iodoc. dicto Enchir. par. ver. Eccleſia: publica vtilitas, quæ in Sacris Sacerdotibus, & magiſtratibus conſiſtit, c. Ius publicum. diſt. 1. l. 1. §. Huius ſtudij ff. de Iuſt. & iur. & omnibus præfertur, Bar. quem omnes ſequuntur in l. prima, nu. 26. ff. Sol. matri. iuſtißima cauſa fuit decernendi, quod Senatus decreuit, vendendam eſſe domum Epiſcopo, modo illam acquireret Epiſcopatui: atq; hæc dicta ſint de tribus, quæ in hoc decreto mihi nunc ſe offerunt animaduertenda. De impenſis enim iam ſupra dictum eſt, ne me dicant illas dißimulare, et ſi quid præterea dicendum eſt, dico quòd has impenſas, quæ ſoluendæ hoc reſcripto decernuntur, plurimum excedunt quæ à me factæ ſunt poſt illud decretum, cum prædicti fratres iterum audiri voluerunt, atq; ideo illius ſaltem exceſſus, in foro præſertim conſcientiæ, de quo

S V

agimus

agimus, ipſi mihi eſſent debitores, cum in cauſa iuſtè ſuccubuerint, & nihil poſtea dixerint, quod antea non dixiſſent: hoc autem non eò dico, vt impenſas illas conſequi cogitem, aut vnquam cogitauerim, ſed vt oſtendam male illos agere, qui me dicunt illarum impenſarum debitorem, quæ poſt prius reſcriptum factæ ſunt, cum earum ego potius ſim creditor: et ut friuolæ impenſarum obiectioni, quam ſemel atq; iterum D. Doctor inculcat, toties reſpondeam, quoties mihi ſe offert occaſio reſpondendi, ne quis fortè me putet hanc tractationem, tanquam malè mihi conſcium, reformidare: Hìc autem non videtur prætereundum, quòd cum D. Petrus Camillus pecunias quaſdam, vt dixi, prædictis fratribus ſoluendas depoſuerit, ipſi verò illas accipere noluerint, & cum ego, vt ſupra dixi, obtulerim duplum me ſoluturum eius, quod ex decreto Senatus, de quo agimus, ſoluere illis cupio, & huic oblationi ipſi acquieſcere noluerint, neq; hoc ſine aliqua ratione factum putem, quid hac in re myſterij lateat non ſatis mihi videor aſſequtus, niſi forte hoc illi egerunt, vt ſibi præpararent exceptionem non ſolutæ pecuniæ, quam Senatus ſuo reſcripto ſoluendam decreuerat, & inde meo Epiſcopatui quæſitum ius infirmandum putent, hoc vſi argumento, quòd Senatus non ſolum decreuit mihi domum pro meo Epiſcopatu vendendam, ſed etiam ſoluendas eſſe pecunias illas, de qui-

bus

bus egimus, quòd cum illæ non ſint ſolutæ, nullum ius Epiſcopatui meo ex illo reſcripto quæſitũ dici poteſt: quæ ratio ſi prædictos fratres mouet, ut, quod eis oblatum eſt, non acceperint, inanis omnino cautela hæc mihi videtur; tum quia non ſumus in mora ſolutionis, cum ipſorum cauſa ſolutio facta non ſit, qui oblationibus noſtris nunquã acquieſcere voluerunt, tum quia ne mora quidem ſolutionis, ſi adeſſet, aliquid prorſus valeret ad ius meo Epiſcopatui quæſitum infirmandum: D. enim Petri Camilli mora quid ad hoc ius infirmandum valere poſſet, non video, cum ex eiuſdem etiam culpa nihil à meo Epiſcopatu iuris detrahi poſſet: in me verò mora ſi adeſſet ex illa tantùm prædictis fratribus aduerſum me coram iudice competente actio competere poſſet, cuius officio compelli poſſem ad præſtandum, quod deberem, meo tamen Epiſcopatui ius quæſitum illæſum omnino permaneret: Neq; verò quicquam obeſſe poſſet argumentum, quo fortè illos vti ſuſpicor, cum in interpretatione reſcripti, quòd eſt ſtricti iuris, vt infra probaturi ſumus, non ſit locus argumento à contrario ſenſu deducto: præſtat igitur illos ea, qua decet, modeſtia cum proprio Epiſcopo agere, & ſecluſa omni contentione id accipere, quod ex hoc priori Senatus reſcripto me daturum omnino decreui: neq; vrgeant me tanquam debitorem eius, quod poſt illud decretum expenſum eſt, cum eius ære ſim creditor, cuius tamen

nullam

nullam rationem habendam eſſe volo. Secundum ad quod reſpondendum eſt, eſt textus in l. Quoties, la prima C. de Fideicom. & authoritas Bal. in Auth. Res quæ. nu. 23. & Iaſ. in 9. limit. C. Com. de Legat. unde probatur, non obſtante prohibitione, ſuſtineri alienationem, quoties fideicommiſſarius eandem retinet, ex Dec. conſ. 324. in princ. Deciſ. Pedem. 94. nu. 23. & Rol. conſ. 100. nu. 70. lib. 4. Ad hæc dicimus in primis tex. in l. Quoties, loqui de ſimplici fideicommiſſo, quod quamuis alienationem impediat ex tacita legis prohibitione, ei tamen ita ab initio non reſiſtit, vt eandem reddat ipſo iure omnino nullam, ſicut dicendum eſt de expreſſa teſtatoris prohibitione, ex traditis in l. Filiusfam. §. Diui, il ſecondo ff. de Legat. 1. præſertim ſi prohibitio facta ſit ex cauſa, quæ fauorem hæredis, aut ſubſtitutorũ non reſpiciat, vt in facto, de quo agimus, contingit. Præterea reſpondetur tum tex. in dicta l. Quoties, tum etiam Doctores ab eodem allatos loqui de prohibitione facta fauore fideicommiſſariorum alienationi conſentientium, vt dicit Iaſ. dicta l. Quoties, nu. 2. & dicto §. Diui, nu. 29. ſecunda Lectu. Bart. in l. Nihil §. Omnibus, de Legat. 1. de qua etiam prohibitione loquitur Deciſ. Pedem. 94. nu. 23. & Rolan. alleg. conſ. 100. nu. 71. lib. 4. Secus autem dicendum eſt quando prohibitio fauorem alterius reſpicit, quàm conſentientium, quia tunc conſenſu illo

alienatio

alienatio non validatur, iux. Alex. conſ. 96. nu. 2. verſ. Confirmo. lib. 4. poſt Domin. de San. Gemin. in c. Statutum in princ. in ver. Communicatur, de Reſcrip. in 6. etiam venditore non contradicente, maximè quando eſt ipſo iure nulla, Deciſ. Pedem. 180. & poteſt ipſemet venditor dictam alienationẽ reuocare, vt in 2. propoſitione oſtendimus: in facto autem, de quo loquimur, prohibitio teſtatoris expreſſa facta eſt ex cauſa, quæ non reſpicit fauorem conſentientium, vt ſupra diximus: & ex his patet reſponſio ad ea, quæ in tribus prioribus comprobationibus afferebantur. Ad quartam verò dicendum, falſum eſſe neminem in facto, de quo agimus, offendi, quo caſu Angel. conſ. 164. Dec. conſ. 182. & conſ. 511. nu. 6. dicunt rem alienari prohibitam propter fideicommiſſum, etiam ſub pœna, poſſe impunè alienari; Quia teſtator offenditur, cuius ſummopere intererat ſui memoriã in dicta domo, ratione in teſtamento præſcripta, conſeruari, vt ſupra oſtenſum eſt: Huc accedit quòd publica etiam vtilitas offendi dicitur, ad quam teſtamentorum, & vltimarum voluntatum obſeruatio pertinet, iux. tex. in l. 2. vbi Bal. not. nu. 8. C. Vt in poſſeſ. legat. & hinc ſequitur, quòd ſi alius quiſpiam præter hæredem, aut ſubſtitutos lædatur, nulla ratione alienatio poterit ſuſtineri, quamuis etiam de conſenſu ſubſtitutorum verè dici poſſit adhibitum fuiſſe, re non ampli-

us integra, cum iam reſcripto mihi conceſſo Senatus Excellentiſſimus decreuiſſet nihil interim innouandum eſſe, atq; ideo nullam eius rationem habendam eſſe. Sequitur quinta in hoc eodem argumento comprobatio, quæ eſt hæc: Extat & quinto, inquit, diſpẽſatio Senatus Excellentiſſimi dictæ prioris uenditionis, quæ actum omnino conualidat, & debet obſeruari. Ad hanc rationem ego pleraq; iam dixi in literis à me datis ad Reueren. Præsbyterum regularem Bonauenturam, cum quo ſe dicit D. Doctor cauſam in hoc facto reſpondendi habere communem, adeò firma, vt nemo hactenus mihi potuerit reſpondere: Ea omnia D. Doctor diſſimulat, & vnum tantum affert, & ne id quidem ſoluere, meo iudicio, poteſt: Non obſtat, inquit, qđ dicta diſpenſatio obtenta videtur ſubreptitia propter non factam mentionem de dicta prohibitione alienandi; & in diſpenſationibus, & alijs reſcriptis gratioſis ſubreptio vitiat ipſo iure, Fel. in c. Ad audientiam 2. de Reſcript. quia reſpondetur, inquit, non eſſe ſubreptionem conſiderabilem, ſiquidem pro conſtanti habendum ſit illam eandem diſpenſationem obtentã fuiſſe, licet de prohibitione mentio facta fuiſſet. Hic nequeo videre vnde ſumat D. Doctor tantam conſtantiam, vt dicat pro conſtanti hoc habendum eſſe: an verò ita ſit, ex rationibus ab ipſo allatis perpẽdamus, propter quas hoc dicit: hæ autem ſunt forma, & com-

O

munis diſpenſationum obſeruantia, & attento quod faciendα erat ſubrogatio; quo caſu longè facilius alienatio, non obſtante prohibitione, conceditur ad tradita per Soc. &c. Harum neutra mihi videtur adeo conſtans, vt propter eas pro conſtanti hoc ſit habendum: Prior enim, quæ ex forma diſpenſationum, & communi earundem obſeruantia deſumitur, nihil omnino roboris habere videtur; nulla enim forma diſpenſationibus ita eſt præſcripta, vt ex vna ad alteram ualidè fieri poßit illatio, quia nulla earum fit, neq; verò fieri poteſt ſine iuſta cauſa, & propterea adhibenda eſt ſemper diligens cauſæ cognitio, perpendendæ ſunt ſingulæ facti circunſtantiæ, quæ diſtinctæ in ſingulis factis reperiuntur, atq; ideo ex vna ad alteram illatio fieri nullo modo poteſt: Poſterior verò ratio non videtur priore in aliquo firmior: ſubrogatio n. bonorum eò tantum fit, vt ſit cautum ſubſtitntis: in facto autem, de quo agimus, non ſubſtitutis, ſed memoriæ teſtatoris cautum eſſe debebat, quam ipſe voluit in hac domo, ratione in teſtamento præſcripta, conſeruari, niſi velit dicere D. Doctor cauſam illam à teſtatore in teſtamento fruſtra poſitam fuiſſe; quod tamen illum non credo dicturum, cum ſola ipſa, & non alia huius prohibitionis exprimatur. Confirmatur hæc eadem reſponſio contra totam vim reſponſionis ipſius, quia tunc tantum cenſetur expreßio non neceſſaria, cum facilius expreſ-

ſo, quod nõ exprimitur, reſcriptum à principe conce= deretur, glo. in c. Significante ver. Non de Remen= ſi, de Reſcrip. quæ ita intelligendum eſſe dicit tex. in c. Super literis, eodem tit. vel quando omnia, quæ obſ= tant, ex narratis colligi poſſunt, Fel. in eod. c. Super literis, nu. 8. verſ. Regula quarta, vel deniq; ſi alio modo intelligere velimus idem cap. Super literis, de Reſcrip. cum eadem facilitate concederetur expreſſo, quod nõ exprimitur, qua fieret ſi nõ exprimeretur: in facto autem noſtro ſecus omnino contingit, in quo nullum horum locum habere poteſt; non. n. facilius, imo ne facilitate quidem æquali conceſſum fuiſſet reſcrip= tum, ſi expreſſa fuiſſet cauſa memoriæ teſtatoris in hac domo conſeruandæ, propter quam facta eſt pro= hibitio, quæ neq; ex narratis, & expreßis colligi po- terat, quia diſtinctus eſt fauor memoriæ teſtatoris conſeruandæ, & ſubſtitutorum vtilitatis: expreſſo igitur tantum altero eorum, qui eſt ſubſtitutorũ, plu= rimum adhuc difficultatis in priori remanet, quod ex eo colligi non poterat: quare niſi vtrunq; expri= matur, reſcriptum ſubreptione uitiabitur, cum præ= ſertim non caſu hoc contingit, ſed doloſe, ſicut in fac- to noſtro contigit, in quo preces primum omnia com= plectebantur, quæ ad vtranq; prohibitionem perti- nent, & cauſam iiſdem prorſus verbis, quæ in teſta- mento ſunt poſita, poſtea verò omnia deleta ſunt, quæ ad prohibitionem teſtatoris, & cauſam ſupra al-

latam exprimendam pertinebant, à D. Doctore Barata, ne quid forte difficultatis ex illa expreſſione oriretur, quo caſu ſubreptio omnino uitiat reſcriptum, d.c. Super literis, de Reſcrip. cũ nullus ignorãtiæ, vel ſimplicitati in hoc facto ſit locus, quia, qui hoc fecit, eſt legum doctor: Senatus .n. ex oblatis illi precibus tantùm putauit de fauore ſubſtitutorum agi, cui ipſi, etiam ſine Senatus authoritate, poterant renuntiare, & hæredes etiam ſuos poterant obligare, ne ipſorum factum impeterent: atq; ideo rectè decreuit, ſi conſenſu ſuo proprio fauori renuntiauerant, in præiudicium ipſorum, & hæredum tantùm venditionem fieri poſſe, quod non feciſſet, ſi alterius, quàm ſubſtitutorum fauorem prohibitionis cauſam reſpicere intellexiſſet: Huc accedit, quòd non propterea careret diſpenſatio ſummi Pont. ſubreptione, ſi quis affinitatis, aut conſanguinitatis gradum non exprimeret, etiamſi in ſimilibus aliquando caſibus Summus Pontifex concedere ſoleat matrimonij contrahendi diſpenſationem, ſed opus eſſet gradum affinitatis, aut conſanguinitatis verè exprimere, vt diſpenſationi locus eſſe poſſet, aliàs tutus non eſſet impetrans in conſcientia, & ſi tacita veritate obtenta ad illas preces diſpenſatione matrimonium de facto contraheret, inceſtus eſſet, non matrimonium, q̃d adeo clarum eſt, vt nulla indigeat probatione: Ex quibus patet plurimum obſtare hanc obiectionem, ſolidamq;

eſſe,

eſſe, quàm dixit D. Doctor non obſtare: non obſtantibus rationibus ab eo adductis, quæ nihil omnino ſententiam eius confirmant. Vna hæc igitur obiectio ſufficeret ad ſubreptitiam illam diſpenſationem infirmandam, at ſunt aliæ, quibus nihil, meo iudicio, ſolidum reſponderi poteſt. Obtinueram ego iam reſcriptum die vj. menſis Iunij, vt ſupra oſtenſum eſt, quo decernebat Senatus Excellentiſsimus nihil innouandum eſſe, quouſq; cognitum ab eo eſſet quid prædicti fratres, & D. Petrus Camillus ad preces meas in Senatu porrectas reſpondiſſent, cum poſtea die xiij. eiuſdem menſis, & anni conceſſæ fuerunt literæ diſpenſationis huius; quam D. Doctor obijcit. Hæc duo reſcripta peto à D. Doctore an ſimul poſsint obſeruari, quod non credo illum dicturum, cum ſint inuicem contraria; Vtri igitur illorũ locus erit? priori ne, an poſteriori? Certe priori, ſi in poſteriori prioris expreſſa mentio non fiat, in c. Super eo, de Reſcrip. Huc accedit tertia ratio, cui non uideo ualidam reſponſionem, quòd ea diſpenſatione non fuit conceſſa à Senatu contractus illius irriti confirmatio, ſicut petebat orator, ſed tantum conceſſa fuit diſpenſatio, ut ad uenditionem dicti palatij ualidè deueniri poſſet in præiudicium ipſorum conſentientium, et eorum hæredum tantùm: quibus uerbis non concedit confirmationem contractus irriti iam initi, ſed ut ad futuram uenditionem ualidè deueniri poſſet, quæ

uerba

verba ſtrictè, vt iacent, ſunt intelligenda, cum verſemur in reſcripto, quòd eſt ſtricti iuris, vt probat tex. in cap. Cum olim Abbas, propè finem, de Off. deleg. glo. in c. Nonnulli, ver. Lites reſtringendæ, & in c. Significante, ver. Non de Remenſi, vbi Abb. de Reſcript. Bal. in l. Vxor, nu. 1. verſ. In contrarium, C. Qui acuſ. in Authen. Omnes, nu. 8. C. Com. de Succeſ. Dec. poſt alios in cap. Cauſam quæ, in princ. de Reſcrip. & etiam cum verſemur in diſpenſatione, quæ odioſa eſt, cum ſit iuri communi contraria, & memoriam teſtatoris lædat, & propterea ſtricti iuris, Io. Andr. in c. Quæ à iure, de Reg. iur. in 6. in Mercurial. Abb. in c. At ſi Clerici, §. de Adulterijs, nu. 8. de Iudic. Felin. in c. Poſtulaſti, nu. 8. & ſeq. verſ. Regula eſt, quòd in diſpenſationibus, de Reſcrip., atq; ideo ad factum præteritum coactè non ſunt trahenda. Accedit quartò, quòd orator petijt diſpenſationem concedi illius irriti contractus, expreſſa tantùm tacita prohibitione ex fideicommiſſo proueniente, & hoc petijt ſub conditione, vbi contractus aliàs validus eſſet, quem tamẽ clarum eſt aliàs validum non fuiſſe, quia multò fortius obſtabat expreſſa teſtatoris prohibitio cum cauſa eiuſdem fauorem reſpiciente, quæ non erat in precibus expreſſa, quàm tacita, quæ erat expreſſa: conditione igitur non impleta, quicquid ſub ea conditione petitum, & conceſſum fuit,

irritum, & inane cenſendum erit. Quæ omnia mihi videntur adeo ſolida, vt nullum relinquant ſinceræ, & firmæ reſponſioni locum. Deniq; iudicium Senatus, apud quem ſemel, atq; iterum hæc ſubreptitia diſpenſatio eſt obiecta, & diligentiſsimè perpenſa, omnem à prædicto Doctore eandem nunc nobis obijciendi occaſionem auferre debuit, cum ipſe fateatur, vt debet, iudicium illud, quo nulla huius diſpenſationis diligenter diſcuſſæ habita eſt ratio, iuſtum fuiſſe. Quod ſi daremus interim diſputandi gratia conceſſum fuiſſe à Senatu reſcriptum confirmationis, vt orator in ſuis precibus petebat, nihil adhuc roboris ex eo reſcripto contractui illi nullo, & contra leges, & teſtatoris prohibitionem facto, in foro, de quo agimus, neque in exteriori acceſsiſſet, quia princeps non poteſt priuatorum teſtamentis derogare, neq; eorum leges, & conditiones tollere, aut mutare propter priuatorum commodum, ſed cauſa tantùm publicæ vtilitatis: quod probatur

Primò ex tex in l. Si teſtamentum C. de Teſtamen. vbi dicit Imperator: Si teſtamentum iure factum ſit, & hæres ſit capax, authoritate reſcripti noſtri reſcindi non oportet: quæ verba neceſsitatem adeo arctam ſignificare dicit Didac. lib. 3. Var. reſol. c. 6. nu. 5. vt omnino indicent in principe nullam voluntates vltimas reſcindendi facultatem eſſe.

Secundò Princeps non poteſt priuatorum adhuc viuentium

tium diſpoſitionibus reſcripto ſuo derogare, vt probat tex. in l. Si donationem, C. de Reuoc. donat. ex quo elicitur etiam ablatam eſſe principi hanc facultatem, vt notat Didac. vbi ſupra, poſt Dec. conſ. 468. nu. 18. ergo neq; poteſt vltimas morientium diſpoſitiones tollere, aut infirmare: conſequentia inde probatur, quia non eſt maior ratio de vno, quàm de altero, atq; ideo à contractibus ad vltimas voluntates valet illatio: de qua videnda ſunt quæ congerit Nicol. Euerar. lib. de Locis legal. argum. loco à contractibus ad vltimas voluntates, & contra.

Tertiò Princeps ſine cauſa publicæ vtilitatis rerum dominia tollere non poteſt, glo. in l. fin. C. Si contra ius vel pub. vtil. vbi Bar. nu. 2. & Didac. cum alijs ab eo adductis lib. 3. var. reſol. c. 6. nu. 6. ſed diſponere de rebus proprijs ad dominium pertinet, cum nihil aliud ſit dominium, quàm ius, & facultas de rebus proprijs diſponēdi, l. In re mandata C. Mand. Bar. *& Doctores in l. Siquis vi. §. Differentia, ff. de Acquir. poſſeſ. ergo princeps non poteſt teſtatoris diſpoſitionem de rebus proprijs factam, alia, quàm publicæ vtilitatis cauſa, tollere.*

Quartò; vt ſupra oſtenſum eſt in ſecunda propoſitione noſtra, teſtandi facultas de iure gentium, & ex conſequenti de iure naturali competit; at princeps tollere non poteſt, quæ alicui de iure gentium, vel naturali competunt, in Clem. Paſtoralis, de Re iudic.

& ratio

& ratio huius eſt, quia iura naturalia immutabilia ſunt, in Inſtit. de Iur. nat. gen. & ciu. §. Sed naturalia

Quintò probatur authoritate doctorum, qui hanc opinionem veriſsimam ſunt ſequti, Dec. conſ. 357. nu. 5. & ſeq. conſ. 403. nu. 12. ver. Contrarium, conſ. 557. nu. 4. & 5. Crau. conſ. 296. nu. 2. cum ſeq. Ruin. conſ. 80. nu. 7. conſ. 95. lib. 7. Pariſ. conſ. 9. nu. 50. conſ. 12. nu. 153. lib. 2. Couar. dicto c. 6. nu. 5. Aufre. Deciſ. Toloſ. 26. Vaſq. de Succeſ. creat. lib. 1. §. 1. nu. 29. Epiſcopus Reuel. in ſuis Singul. litera P. nu. 76. Neq; verò ſolida eſt nonnullorum diſtinctio inter principis poteſtatem ordinariam, & abſolutam, vt rectè annotauit Didac. vbi ſupra, nu. 8. principis enim poteſtas abſoluta, aut nulla eſt, aut certè non egreditur limites facultatis, & gubernationis ipſius, quæ tantùm ſe extendit ad ea, quæ ſunt iuris humani, & poſitiui, quæ poſſunt cadere ſub principis diſpenſationē, commutationē, abrogationē, aut irritationē, in quibus etiam iuſta cauſa ſi deſit, peccabit princeps diſpenſans, & is, cum quo diſpenſatum fuerit, non erit tutus in conſcientia, ſi ſciens petat, quod ei à principe concedi ſine peccato non poteſt, quia alium inducit ad peccatum, vt ait Sot. lib. 1. de Iuſt. & iur. q. 7. ar. 3. in illis verò, quæ ſunt iuris naturalis, aut gentium, quia facultatis eius limites egrediuntur, non ſolum, ſi

diſpenſare tentauerit, peccabit; ſed etiam nulla erit diſpenſatio, & is, cum quo diſpenſatum fuerit, ea uti non poterit ſine peccato, vt ait Sot. loc. cit. quare etiamſi cōceſſa fuiſſet à Senatu Excellentiſſimo confirmatio contractus illius nulli, nulla inde naturalis obligatio oriri potuiſſet; cum ſemper ius naturale, & gentium, quod non ſubeſt principis facultati, contra illam reclamaſſet: vbi verò publicæ utilitatis ratio adeſt, iuſta etiam adeſt cauſa diſpenſandi, ut ſupra oſtenſum eſt: ubi etiam oſtendimus cauſam noſtram ad publicam utilitatem pertinere, quod non ſolum iure humano confirmari poteſt, ſed etiam iure gentiū ualidum eſt, ex quo introductus eſt in hominibus hominum in locum aliquem conuentus, & regna ſunt condita, in quibus unum totum politicum ex multis hominum familijs conſtituitur: inſitum enim eſt ſuapte natura parti, ut pars eſt, ut plus amet commune bonum totius, quàm particulare bonum proprium, imò partis inclinatio præcipua eſt ad actionem communem utilitatis totius: atq; ideo ſecundum politicas uirtutes, quæ ad ius naturæ pertinent, homines pro bono communi, & diſpendia propriarum rerum, & perſonarum ſuſtinent, ut ait S. Tho. 2. 2. q. 26. ar. 3. rector ergo multitudinis poterit illarum virtutum actus pro publico bono præcipere, & renitentes etiā ad eoſdem opportunis iuris remedijs compellere.

De iuramēto iterum. *Sexta in hoc argumento ab eodem D. Doctore alla-*

ta

ta comprobatio ex iuramento deſumitur, & eſt hæc: Proponitur, inquit, ſexto loco aliud, & ſane potiſſimum fundamentum pro validitate dictæ primæ venditionis; quia videlicet iurata eſt, quod iuramentum ſine dubio ſeruari debuit à iurante, nec potuit impune illi contrauenire, in cap. Cum contingat, de Iureiuran. in Authen. Sacramen. puber. C. Si Aduerſ. vendit. & c. Debitores, de Iureiur. Circa cuius iuramenti obſeruationem illud quæri debet, an non ſit contra bonos mores naturales, alioquin obſeruandum erit, vt proſequitur Dec. &c. Hic bene ſe res habet, quòd D. Doctor quærit, & propterea reſpondendum erit, quòd hic actus, de quo agimus, à D. Petro Camillo iuramento confirmatus, ſicut in ſecunda propoſitione dictum eſt, duobus modis conſiderari poteſt, vel abſolutè ſine aliqua relatione ad Senatus authoritatem, ita vt intelligantur partes pepigiſſe, uelle illas omnino cōtractui huic prohibito locum eſſe, quicquid velit de hac re Senatus; vel intelligitur factus, ſi Senatus confirmatione ſua illum approbauerit: Si priori modo conſideretur eſt peccatum mortale contra fidem præſtitam ſeruandi conditionem, cum qua domus ipſa relicta fuit, vt latè in ſecunda propoſitione oſtendimus, atq; ideo non poteſt eidem accedere iuramentum, quia vergeret in deteriorem exitum, neq; ſeruari poſſet ſine in-

territu ſalutis æternæ: vinculum enim illud naturalis, & ciuilis obligationis ſeruandi conditionem à teſtatore poſitam, & ab eodem ſub fide ſuſceptam; arctiſsimum erat, contra quod ſine peccato mortali fieri aliquid non poterat: eſt igitur actus, hoc modo conſideratus, contra bonos mores naturales, atq; ideo illi non poteſt ſine peccato iuramentum accedere: Sin autem poſteriori modo cõſideretur, factus ſcilicet ſub ea conditione, ſi princeps eundem ſua confirmatione, et approbatione ratum habuerit; iam tota eius obligatio ex ſuperioris voluntate, & authoritate pendet, & propterea decreto Senatus contrario irritum redditũ eſt quicquid factum fuerat, quia ſuperior ipſe, cuius intelligitur authoritas excepta ex regula illa, deſumpta in c. Venientes, de Iureiur. & in c. Conſtitutus, de Reſcrip. intelligendus eſt ſuperior quò ad materiam actus iuramento confirmati, qui in hoc facto, de quo agimus, eſt Senatus; non autem ſuperior quò ad ipſum actum iurandi, ad quem pertinet, ratione ipſius actus, eiuſdem commutatio, vel diſpenſatio; ſicut falsò exiſtimauit D. Doctor, qui ad ſententiam ſuam comprobandam attulit Panor. in c. Quanto, de Iureiur. in quo tamen tex. manifeſtũ eſt tantũ de ipſo actu iurandi agi, cum ibi Princeps ille, de quo agitur, petierit diſpenſationem à Summo Pontifice ſuper actu iuramenti cudendæ monetæ, ab eo præſtiti: qua in re mirum eſt, quòd D. Doctor relicto loco

proprio,

proprio, vnde illa regula deſumitur, qui eſt c. Venientes, de Iureiur. & cap. Conſtitutus, de Reſcrip. vbi tum Abb. tum alios inueniſſet contra ipſum ſentientes; cum hæc res certa ſit, & niſi nunc à D. Doctore in controuerſia poſita; confugit ad Abb. in c. Quanto, de Iureiur. vbi neq; tex. neq; Abb. eius ſententiam comprobant, imo verò Abb. improbat, vt ſup. diximus, tex. verò tantùm de ipſo Iurisiurandi actu agit, de quo cum alia pleraq; dicat in hac eadem comprobatione D. Doctor, hæc quoq; ſunt perpẽdenda; relicta tamen illa verborum exaggeratione, qua vtitur ad oſtendendum tot rationibus, & fundamentis, quot ipſe ait, hanc irritam venditionem confirmatam fuiſſe, cum ad rem noſtram non pertineat, quibus inſtitutum illud eſt, vt rationibus, non verbis tantùm reſpondendum eſſe putemus. Sequitur igitur: In confirmationem, inquit, annectam dicta maximè certi momenti in hac materia, Didac. p. 1. relect. §. 3. ſub nu. 2. ver. Primum equidem, & poſtea ponit verba ipſa, quæ nos omittimus breuitatis cauſa, eorum tamen ſententiam ponemus, quæ eſt hæc: quòd ſi iurans iuramento promiſſorio iurandi animo iurat, non poterit huic animo intentionem non promittendi opponere, cum hæc ſint inuicem neceſſariò connexa, atq; ideo ſeruare debet quod iureiurando promiſit: ſin autem iuret animo non iurandi, peccatum erit, quanuis ad præſtandum, quod iura-

mento adhibito promiſit, in foro conſcientiæ non teneatur: & hæc quidem vera ſunt, & ſatis nota: clarum eſt enim in omni iuramento promiſſorio adeſſe vim iuramenti aſſertorij, atq; ideò exteriori verborum prolationi debere interiorem animi actum ſine vlla falſitate reſpondere; alioquin periurus erit iurãs piurio aſſertorio, vt rectè annotauit Sot. lib. 8. de Iuſt. & iur. q. 1. ar. 7. quomodo autem hæc ad rem noſtram faciant, non video, cum nos vltrò fateamur non defuiſſe animum D. Petro Camillo iurãdi, neq; promittendi, neq; præſtandi quod erat policitus; ſed hæc omnia in hoc iuramento promiſſorio neceſſario intelligenda erant, vt ſubiecta iuramenti materia patiebatur: quæ cum eſſet principis facultati reſeruata, et ad eandem omnino pertineret; iuramentum ipſum promiſſorium ea conditione præſtitum intelligendum erat, ſi princeps, quòd factum fuerat, approbaret, vt rectè ait glo. in c. Conſtitutus, de Reſcrip. & in fortiori promiſſione, in illa ſcilicet, quæ Deo fit voto, vt ait S. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 8. ad vlt. & ratio eſt manifeſta, quam ibidem ponit Sanctus Doctor de voto loquens: quia, ad hoc vt hic actus ſit moraliter bonus, debet eſſe actus virtutis, & ſecundum rectam rationem; non eſt autem actus virtutis, neq; ſecundum rectam rationem, quòd aliquis abſolutè promittat, quod eſt poſitum non in ipſius; ſed in alterius facultate, atq; ideo, vt ſit actus virtutis, &

in eo peccatum euitetur, conditione illa opus erit, ſi ſuperior approbauerit, vel certè non improbauerit, quod iurans iureiurando promiſit: hæc autem conditio; quæ tam in voto, quàm in iuramento intelligitur, cum in materia ſuperioris authoritati ſubiecta, quò ad illam excipiendam æquiparentur, Numer. 30. quia eadem utrobiq; eſt ratio, uel erit affirmatiua, uel negatiua, ut ex S. Tho. loc. cit. colligitur: affirmatiua erit, ſi quis polliceatur ea conditione appoſita, ſi ſuperior approbauerit; negatiua uerò, ſi quis ea lege promittat, niſi ſuperior improbauerit: Inter utranq; uerò conditionē duo diſcrimina ſunt animaduertenda; quorum alterum ex materia uoti, uel iuramenti deſumitur, quæ, ſi fuerat aliqua ratione prohibita, affirmatiua conditio ſemper eſt intelligenda, ſi ſuperior, quòd factum eſt, approbauerit; ſin autem prohibita non fuerit, negatiua conditio intelligenda erit, niſi ſuperior improbauerit: alterum uerò inter utranq; conditionem diſcrimen ſumitur à ui obligandi, & ab effectu uinculi, quod oritur ex uoto, uel iuramento ſub alterutra harum conditionum præſtito: ubi enim conditio negatiua intelligitur, ex uoto, uel iuramento ſtatim in uouente, uel iurante oritur uinculum obligationis; quouſq; mandato contrario ſuperioris irritum reddatur; ubi uerò affirmatiua conditio intelligitur, non ſtatim oritur uinculum obligationis, ſed tunc primùm incipit afficere, cum ſuperior quod fa-

ctum

ctum eſt, approbauit, vt rectè docet D. Gaiet. 2. 2. q. 88. ar. 8. quem ſequitur Sot. lib. 7. de Iuſt. & iur. q. 3. ar. 1. qui ueræ huius doctrinæ rationem affert, quia votum, vel iuramentum fieri debet de re licita, materia verò prohibita non eſt licita, niſi prius ſuperior, qui illam concedere poteſt, quod factum fuerit, approbauerit, atq; ideò tunc tantùm ex voto, vel iuramento in vouente, vel iurante obligationis vinculum oritur: in materia verò non prohibita, cum ſit ex ſe licita, nihil obſtat quò minus votum, aut iuramentum ſtatim ab initio vinculum pariat obligandi: cum autem in materia prohibita verſemur, vt ſatis ſupra in ſecunda propoſitione oſtendimus, iuramentum hoc non ſtatim ab initio obligandi vinculum parere potuit in iurante, ſed expectanda erat ſuperioris approbatio, quæ facta non fuit, neq; verò propter priuatorum commodum tantùm fieri potuit, vt probatum eſt ſupra, & huc ſpectat quod in ſecunda propoſitione noſtra diximus, cum propter conditionē exceptæ ſuperioris authoritatis in hoc facto intellectam, imò & à partibus expreſſam, affirmauimus rem hanc ſuapte natura ſecluſa ratione peccati propter conditionem appoſitam conſiderandam eſſe, & eadem conditione pendente nihil in eſſe poſitum fuiſſe, atq; ideo naturalem obligationem, conditione illa pendente, non fuiſſe in eſſe deductam: Quod autem præterea dicit D. Doctor his verbis: Idem venditor,

inquit,

inquit, hoc in caſu, vbi appoſitum eſt iuramentum, non tantum confirmatorium contractus; verum etiã aſſertorium, quæ duo iuramenta ſimul iuncta vinculum iuriſiurandi potentius reddunt; vt conſtat ex dictis Soc. &c. quam tamen doctrinam tanquam reconditum aliquid, & in hoc caſu ſingulare D. Doctor affert, cum tamen in omni iuramento promiſſorio, quod vocat ipſe confirmatorium contractus, adſit etiam uis iuramenti aſſertorij, ut ſupra dictum eſt, ſed hoc ad rem noſtram parum facit, vt diximus. Addit præterea, quod eſt renuntiatũ habilitationibus à iuramento, quod tantum eò pertinebat, ne ipſe ex ſe, & propria voluntate motus facto proprio contraueniret, quod ipſe non fecit, imò contra obſtitit quantum eidem licuit, cum eius, quod fecerat, à Senatu confirmationem petijt, & cum reſpondit literis ab Excellentiſſimo Senatu ad preces meas datis, uelle ſe contractam ab eodem cum dictis fratribus venditionem, quantum in ipſo erat, perfici: quo facto præſtitit quantum debebat, cum abſolute contra Senatus authoritatem, et voluntatem in materia eiuſdem authoritati ſubiecta iuramentum promiſſorium præſtare non potuiſſet, vt ſupra diximus. Illud autem, quod ait, Summum Pont. adeundum fuiſſe pro obtinenda habilitatione, quia etiam in caſu, quando naſcitur probabile dubium an abſolutio à iuramento debeat concedi, adeundus eſt Summus Pontifex, vt in

Q

ſpecie decidit Soc. conſ. 115. nu. 8. lib. 3. tantòqi facilius iuramenti vinculum in hoc caſu permanſiſſe dicit, vbi non modò aderat probabile dubium, an relaxatio iuramenti fieri deberet, ſed etiam ex qualitate facti cognoſcitur, & ex fundamentis ab eo adductis, venditorem obligatum fuiſſe; nihil valet: Dicimus enim nullum in hac re dubium, imò clarum eſſe, diſpenſationem nullo modo neceſſariam fuiſſe; nam ſi conſideretur ipſe actus iuramento confirmatus abſolutè, Senatus authoritate non excepta, eſt peccatum mortale, atq; ideo contra bonos mores naturales, & propterea non eſt neceſſaria habilitatiò, vt tradit Didac. ſecundùm communem, in relect. cap. Quanuis 2. p. in princ. nu. 4. de Pactis in 6. Sin autem conſideretur ea conditione appoſita, ſi ſuperior approbauerit; ſimulatq; princeps contrario decreto actum ipſum irritum reddidit, & contrarium mandauit, eſt excluſus omnis locus neceſſitati diſpenſationis, aut habilitationis petendæ, vt tradit glo. in cap. Conſtitutus de Reſcrip. ver. Iuramento; Et ratio eſt manifeſta, quia ſimulatq; ex authoritate ſuperioris irritum eſt iuramentum, iam nullam habet vim obligandi, atq; ideo non eſt opus diſpenſatione: ſententia autem D. Doctoris procedit ex falſo præſuppoſito, quia non diſtinguit inter ſuperiorem quò ad materiam, qui poteſt actum ipſum iurandi, cum materia, quæ eſt eidem ſubiecta, irritare: & ſupe-

riorem quò ad actum iurandi; ad quem pertinet iuramenti diſpenſatio, vel commutatio, ut latè ſupra oſtenſum eſt. Quæ verò poſtremò addit, quemadmodum hic deciditur, & probatur inter venditorē iurantem, & prædictos emptores; ita etiam dicendum, & probatum dici debere inter me, & eoſdem fratres: omni ſoliditate carent: quomodo enim hoc benè probauit de D. Petro Camillo, de quo nihil hactenus, quod ad ſententiam eius validè comprobandam faceret, inuenire potui: eodem quoq; modo de me facturum puto: at videamus quid dicat: Eſt nanq;, inquit, aduertendum, quòd in propoſito non ſolum concurrit illud præceptum: Non concupiſces rem proximi tui; quod tamen quomodo concurrat non oſtendit: & cum dicit Excellentiſſimum Nauarrum latè in hoc negocio ſcripſiſſe, ad quod nihil ipſe reſpondit, eius ſententia, vel ipſius D. Doctoris confeſſione, probatur: quod ſi improbabat, ſilentio hoc fieri non poterat, quod pro ratione nunquam admittendum duxi: ſi quid igitur habebat, hic diſſimulare non debuit. Addit præterea: Verum etiam, inquit, militat & alterum diuinum præceptum: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum; quod etiam in foro conſcientiæ debet obſeruari, Abb. in c. Cum cauſa, in fin. de Teſtibus: quod certè teſtimonium ſine aliqua diuinæ legis iniuria afferri non potuit: quid enim opus erat Abb. authoritate ad probandum le-

legem Dei in foro conſcientiæ obligare? cùm præſertim agatur de hoc mandato dilectionis proximi, ex quo cum alio eidem ſimili ait Chriſtus Dominus, Matt. 22. vniuerſam Dei legem, & Prophetas, pendere, de quo præterea idem Dominus ait, Ioan. 15. Hoc eſt mandatum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos; & Diu. Ioan. 1. Cano. c. 3. Qui non diligit manet in morte, cum alijs ſimilibus, quæ breuitatis cauſa omitto: quid igitur opus erat Abbatis authoritate ad hanc rem, fide catholica tenendam, quæ ſine hæreſi negari non poteſt, comprobandam? Et certè ſi propter authoritatem Panor. tanquam rationem antecedentem huic veritati aſſentitur D. Doctor, non eſt in eo de hac re fides diuina, ſed humana tantùm opinio, aut fides: quomodo tamen contra me faciat non oſtendit, ſed ſilentij ratione ad hoc, ſicut ad alia comprobanda vtitur. Addit: Militat et illa concluſio, quòd quilibet tenetur prohibere proximum à peccato committendo, c. Hoc videtur. 22. q. 5. & quæ ſequuntur: Ad hæc omnia dicimus latè nos ſupra oſtendiſſe, non peccaſſe D. Petrum Camillum, & omnes D. Doctoris rationes quacunque ſoliditate carentes iam diluimus, & propterea non poteſt iuſtè quod ego coram Senatu Excellentiſſ. petij reprehendere, neq; Dominum Petrum Camillum, eò quòd mandato eius iuſto, vel ipſo Doctore confitente, paruerit. Sequitur præterea D. Doctor:

Maxime,

Maxime, inquit, quando ſubeſt dubium ſcandali, cui ſumma ope obuiandum eſt, ut probatur ex dictis Batt. in 6. Niſi, §. Pro graui, nu. 2. de Renuntiat. & c. Hic ego mirari non deſino, quòd ſemel, atq; iterum turpitudinem eorum, pro quibus ſcribit, pro ratione obijciat: at quoniam iam cœptum eſt ſingulis reſpondere, nam hoc quidem inſtituto noſtro deeſſe debemus. Quæſo D. Doctorem an viderit unquam doctores Theologos, ad quos hæc materia ſcandali pertinet, de hac re tractantes; quòd ſi vidit, mirandum eſt hæc illum afferre: ſi non uidit, mirandum eſt potius, hominem authoritate eorum, ad quos pertinet hæc tractatio, & ratione prorſus deſtitutum, limites propriæ facultatis egreſſum, hæc obijcere. Videamus igitur quid dicat de hac re S. Tho. à quo nemo Theologorum diſcrepat, 2. 2. q. 43. ar. 1. & 2. nam in ar. primo, cum ſcandali definitionem affert, dicit eſſe dictum, vel factum minus rectum, præbens alijs occaſionem ruinæ: nunc itaq; uideamus, an quod ego hac in re egi rectitudine careat: hoc autem duobus modis intelligi poteſt, ut rectè ibidem docet S. Doctor: altero quidem cum actus ex ſe eſt contra legem Dei, & ſuapte natura peccatum, altero verò cum externam præbet ex ſe mali ſpeciem: & priori quidem modo ei, quod ego pro meo epiſcopatu egi, nulla deeſt rectitudo, id enim tantum egi, ut iuris ordine ſeruato, & cauſa optimè à ſuperiore

cognita, iuſtè publica vtilitas priuatorum commodis præferretur, quod tantum abeſt, vt rectitudine careat, vt potius ſecundùm legem Dei id fieri deberet: cum enim Epiſcopatus meus careret domo decenti (ſicut de hac re cauſa cognita extat ſententia Sedis Apoſtolicæ delegatorum) eiuſdem hac in re neceſſitati conſultum eſſe volui; nam ſecundùm ordinem charitatis bonum publicum priuato eſt præferendum. Huc accedit quòd fratres, prò quibus ſcribit, cum haberent domum patriã, (habita eorundem ſtatus ratione) decentem; de proprio Epiſcopo à domo, in qua quandiu in Epiſcopatu reſidet, habitauit, eijciendo agebant; cui iuſtior cauſa fuit quærendi iuſtè ne expelleretur, quàm illis dandi operam quomodo illum eijcerent: cum præſertim eorum cauſa, vt ſupra diximus, voluntas teſtatoris validè commutari non potuiſſet; publicæ verò vtilitatis cauſa hoc fieri etiam debuiſſet: & denique hac de re optimè reſpondit doctiſsimus Nauarrus, cui nihil hactenus reſponſum video: quibus manifeſte comprobatur, quod ego egi priori modo rectitudine non carere. Neque verò externam factum ipſum præ ſe fert aliquã mali ſpeciem, quod vel ipſius D. Doctoris confeſsione probatur: ipſe enim fatetur ſententiam Senatus, qua conceſſit ad preces meas domum hanc vendendam eſſe Epiſcopo, modò illam acquireret Epiſcopatui, in exteriori foro fuiſſe iuſtiſſimam; quòd ſi illa iuſtiſſima

fuit

fuit ; preces meæ , propter quas fuit facta iuſta conceßio , & eiuſdem conceßionis executio ; in exteriori foro iuſtæ dicendæ erunt : quod mihi videtur adeò neceſſario ſequi , vt non ſit locus aliquis negationi : Si ergo quicquid ego egi, in foro exteriori iuſtum fuit , externa facti ſpecies boni erit, & iuſti, non mali : niſi quis eouſq; deſipere velit , vt dicat habere quidem ſpeciem recti in ordine ad iuſtitiam, in ordine autem ad alias virtutes habere ſpeciem mali , & defectus, quod non credo D. Doctorem dicturum ; cum virtutes neq; ſint inuicem contrariæ , neq; vllam oppoſitionis externam ſpeciem in ſuis actibus habere poſſint : implicat enim contradictionem , quòd aliquis ſit actus virtutis reſpectu vnius virtutis ; & vitij reſpectu alterius , quia ita ſimul eſſet ſecundum rationem rectam ; & contra rationis rectitudinem : habet igitur, quod ego egi, abſolutam omnem rectitudinis rationem ; quod ſi quiſpiam ex fratribus Baratis ob id voluit Domino Petro Camillo iraſci, nõ debuit ; quia ; quemadmodum ſuperius oſtenſum eſt , D. Petrus Camillus quicquid in hac re agere debebat ; omnino præſtitit : non eſt igitur dicendum ſcandalum actiuum, uel datum, ſi quis ex eo, quod iuſtum eſt , & bonum , nullamq; habet mali ſpeciem , velit iraſci , aut aliud quippiam mali agere , ſed merè paßiuum, et acceptum, quod non eſt peccatum niſi in eo , qui voluntate propria , & occaſione accepta, non

data ,

data, peccare voluit, alioquin nullus eſſet locus iuſtis litibus inter Chriſtianos, ſi ratio habenda eſſet iræ eius, qui etiam iuſtè in cauſa ſuccumbit, quod tamen abſurdum dictu omnino eſſet: Hinc igitur patet quàm male hoc obijciat D. Doctor, quod potius ei diſsimulandum erat, ne in ſermonem incideret turpitudinis eorum, pro quibus ſcribit: & hæc de hac tertia ratione, eiuſdemq; comprobationibus dicta ſufficiant.

Quarta ab eodem D. Doctore contra me allata ratio ex eo deſumitur, quòd ego, cum in Senatu Excellentiſſimo petij, vt domus, de qua agitur, mihi pro meo Epiſcopatu venderetur, neq; etiam cum emptionem cum D. Petro Camillo contraxi, ignorabam quod ab eodem cum dictis fratribus factum fuerat: quæ ratio non aliò tendit, quàm ad reſpondendum obiectioni, quæ pro contractu à me emptione fieri poterat ex l. Quoties. C. de Rei vendicat. qua lege cautum eſt, ut quoties duobus in ſolidum prædiū iure diſtrahitur, is, cui priori traditum eſt, in detinendo dominium potiorem eſſe, vnde infertur poſteriorem cum rei traditione, priori ſine illa præferendum eſſe: huic conſtitutioni, quam ſibimet ipſi obijcit, reſpondet, dictam legem, Quoties, rectè intellectam nō modò non offendere priorem illam venditionem, pro qua ſcribit; ſed potius illam ita coadiuuare, vt in hoc foro interiori contra me ipſum ſeruāda ſit: lex, n illa, inquit, quam-

plures

plures recipit limitationes, atq; inter alias vna eſt hæc, quæ ad rem noſtram facit: quando videlicet ſecundus emptor priuſquam emerit, factus fuit certior prioris venditionis: ſcientia enim tunc poſteriori emptori, etiam cum rei traditione, præiudicat, ex glo. Alberi. Saly. & Iaſ. in. dicta l. Quoties, cum alijs ab eo adductis. Ad hoc dicimus, legem hanc ad rem noſtram non facere, ſicut inferius mox oſtenſuri ſumus: at ſi velimus interim dare eidem legi locum aliquem diſputationis gratia; peto ab eodẽ D. Doctore, an putet limitationem illam veram eſſe in foro exteriori, quod certè negare non poteſt, cum doctores in dicta l. Quoties, dicant, à ſecundò emptore, qui in mala fide fuit, reuocari poſſe, & conuinci in foro etiam exteriori rem venditam, à primo emptore, & præſertim ab eo adductus Couar. quod ſi verum eſt, quemadmodum veriſſimum eſſe puto, dicat mihi nunc D. Doctor, quomodo iuſta erit ſententia Senatus in foro exteriori, qui cum has leges publicas attendere debeat in firmandis ſuis ſententijs, (vt verbis ipſius utar) & ex præcibus meis ſciret me rem nouiſſe, cum ab eis domum ſua ſententia abſtulerit, quibus, ſi limitatio hæc, quæ eſt veriſſima, ad rem noſtram faceret, adiudicanda erat, & ex eadem venditor compellendus ad prioris contractus obſeruationẽ: at quomodo hæc cohæreant ipſe viderit: Nos verò directè ad vim rationis huius reſponde-

mus, legem illam; Quoties; nihil ad rem noſtram pertinere; Lex enim illa loquitur de duobus emptoribus adeo in iure æqualibus, vt nihil illis deſit ad dominium acquirendum; præter rei venditæ traditionem, qui propterea utriq; dicuntur in bona fide exiſtentes iure emiſſe: in facto autem noſtro oppoſitum contingit: emptio enim illa prior iure facta non fuit, cum contra legis, & teſtatoris prohibitionem facta fuerit, et propterea, etiamſi ſtatim ſequuta fuiſſet domus traditio, adhuc dominium tranſlatum non fuiſſet, quia prohibitio expreſſa; præſertim cũ cauſa hæredis, aut ſubſtitutorum fauorem non reſpiciente, omnino impedit tranſlationem dominij, vt tradunt Doctores in l. Filiusfam. §. Diui, il ſecondo. ff. de Legat. 1. mea verò emptio pro Epiſcopatu meo iure facta fuit, quia nulla fraus interfuit, quæ tota ratio eſt illius limitationis: ideo enim ſecundus emptor, ſciens rem alteri prius uenditam fuiſſe, beneficio illius legis non gaudebit, quia præſumitur ex illa ſcientia fraus in ſecundo emptore: de me autem hoc dici non poteſt: Primo quidem, quia ſi ſciebam quod factum fuerat, ſciebam etiam quòd iniuſtè, & contra leges, & teſtatoris voluntatem factum erat, atq; ideo omnino nullum: quapropter ex mea ſcientia nulla prorſus fraus, dolus, aut mala fides præſumi poteſt: quibus ceſſantibus, ceſſat etiam limitatio illa, quæ procedit ſolum ex fraude, & mala fide præſumpta.

Secundò

Secundò hoc idem comprobatur, quia iuris ordo ſeruatus eſt; porrectæ enim fuerunt preces in Excellentiſſimo Senatu, quibus illi rei veritas innotuit, factam ſcilicet fuiſſe priorem illam venditionem nullam, & eas decreuit Senatus tùm emptoribus, tùm venditori inthimandas, vt reſponderent quicquid eis dicendum erat, quod factum etiam fuit: poſt quæ omnia Senatus Excellentiſſ. auditis partibus, & re optime cognita, decreuit domum vendendam eſſe Epiſcopo, modò illam acquireret Epiſcopatui: quæ ſuperioris authoritas in actu interueniens facit ceſſare omnem ſuſpicionem, & præſumptionem fraudis, & turpitudinis, l. Furti. §. Qui iuſſu. ff. de His qui not. infam. & qui authore iudice emit, bonæ fidei poſſeſſor dicitur, l. Qui authore. ff. de Reg. iur. ſicut iuſtè poſſidet, qui authore iudice poſſidet, l. Iuſte. ff. de Acquir. poſſeſſ. & qui iuſſu iudicis aliquid facit, non videtur dolo facere. l. Non videtur §. Qui iuſſu. ff. de Reg. iur. ex quibus omnibus patet, legis illius limitationem nihil omnino obſtare, imo verò certum eſt legem illam ad rem noſtram non facere; quia hic non adſunt duo emptores, qui iure emerint; ſed vnus tantum, idemq; primus, qui ſum ego pro meo Epiſcopatu. Hæc habui, quæ de quatuor rationibus à D. Doctore allatis dicerem, quas cum exactè, quantum viſum eſt ſufficere, perpendiſſem, viſæ ſunt mihi a D. Doctore numero potius, quàm

pondere vendita: nam quatuor illæ quidem numero ſunt, at ne vnius quidem ſolidæ rationis ſunt pondere graues: prima enim omnino leuis eſt, quia deſumpta eſt ex leuibus coniecturis, in re, quæ ad conſcientiæ forum pertinet, in quo omnis locus excluditur coniecturis: quarta verò, quæ deſumitur ex l. Quoties, nihil ad rem noſtram facit, quia fratres, pro quibus ſcribit, iure non fuerunt primi emptores, de quibus tantùm loquitur illa conſtitutio: ſecunda, & tertia verè non ſunt duæ, ſed vna tantùm ratio, quia quicquid in tertia dicitur nihil aliud eſt, quàm comprobatio ſecundæ rationis: omnia igitur illa, quæ tot verbis D. Doctor. complectitur, vno hoc argumento explicari potuiſſent: Ex eo, quod egit Dominus D. Petrus Camillus cum fratribus Baratis, orta eſt naturalis obligatio, quæ Senatus Sententia tolli non potuit: illa autem obligat in foro conſcientiæ ad præſtandum quod D. Petrus Camillus promiſit: Sententia igitur Senatus non obſtante id omnino præſtare tenetur: Sed nos maiorem propoſitionem negamus, neq; aliquid ſolidi allatum eſt à D. Doctore ad illam comprobandam, ſicut abundè ſuo loco oſtẽdimus. Ex omnibus, quæ à nobis dicta ſunt, manifeſtè patet dictum D. Doctorem ab hoc ſcribendi genere omnino abſtinere debuiſſe, cum hoc ſine peccato detractionis, & famæ reſtituendæ obligatione fieri non potuiſſet, cùm præſertim hæc tractatio non ad eum,

ſed

ſed ad Thelogos pertineret, rationibus ab eo ad hanc rem comprobandam adductis non obſtantibus, cum nihil omnino ſententiam eius probent. Patet etiam; quòd cum iuſtiſsima fuiſſet ſententia Senatus, vt ipſe fatetur; neq; in hoc diſcrimen vllum conſtituendum ſit inter externum, & internum forum; hac quoq; ratione ab eo ſcribendo, quòd ſcripſit, debuiſſe illum abſtinere. Patet præterea, quòd cum ratio Eccleſiaſtici ordinis, & dignitatis habenda eſſet, non debuit Epiſcopi famæ detrahere, cum præſertim dicat ſe meis literis ad ſcribendum motum, quod ego nunquam cogitaui, imò monendum illum curaui, vt ab hoc ſcribendi genere abſtineret, cum ſine peccato id efficere non poſſet. Manifeſtum eſt etiam quàm malè easdem literas meas, quarum prætextu, & excuſatione in hac detractione abutitur, ſit interpretatus; cum eò tantùm literæ meæ tenderent, vt publicum hoc ſcribendi genus, quod ſine detractionis peccato eſſe non poterat, impediretur: eo enim conſilio literas illas dedi, vt ſi quis Papiæ (vbi prædictos fratres magnis etiam ſuis ſumptibus doctorem aliquem, qui contra me ſcriberet, conducturos, eiuſq; ſcripta publicè edenda curaturos intellexeram) contra me aliquid haberet, meis literis motus ad me ſecretò, non me ignaro contra me publicè ſcriberet, vt inde mihi veritatis detegendæ, tum in ijs, quæ ad factum, tum in ijs, quæ ad ius diuinum, aut huma-

num pertinent, occaſio præberetur: quod planè me feciſſe confido (quantum literarum anguſtia patiebatur) cum D. Bonauentura Presbytero regulari, cũ quo ſe dicit prædictus Doctor reſpondendi cauſam habere communem, in reſponſione mea ad nonnullas rationes, quas mihi literis ſuis obiecerat, quarum capita eadem ferè ſunt cum his, quæ mihi nunc prædictus Doctor obijcit, qui, ſi ad me ſcripſiſſet, vt facere debebat quicunque literis meis motus ſententiam ſuam hac in re dicturus erat; veritas à me detecta eſſet, tum facti, in quo ipſe plurimum errat, vt ſupra oſtendi, ex quo errore omnia eius argumenta deducta, veritate detecta corruunt; tum etiam iuris, cum veritatis, quæ omnium rerum fortiſſima eſt, facilis ſit defenſio: quod ſi factum fuiſſet, peccatum hoc publicæ detractionis impediendum nõ dubitabã: at quoniam illi omnino conſtitutum erat contra me ſcribere, vt conductoribus ſuis morem gereret, & ſibi conſcius erat hoc fieri non debere, vt ex eiuſdem verbis colligitur in tertia ratione, quæ ſe dicit, an in hac re ſcriberet, ancipitem extitiſſe; quia, vt ait, de actibus, & contractibus meis non niſi bene, ac optime conijciendum, & dijudicandum erat; quoniam hoc publicè ſcribendi genus repræhenſione dignum eſſe, meq; inde iuſtam conquærendi cauſam habere, non poterat ignorare; aſtutam ſe inueniſſe huic detractioni excuſationem putauit, quâ & alijs (ſi fortè in

hoc

hoc ab illis repræhenſus eſſet) reſponderet, mihiq; os, ne conquæri poſſem, obſtrueret, ſi diceret ſe meis literis motum ad ſcribendum: Neq; hic ſiſtit eius minus ſincera literarum mearum interpretatio; ſed vlterius progreditur: Cum enim ex eis intelligere debuiſſet meam hanc eſſe ſententiam, quam factis proprijs profitebar (ſi conſilij mei rationem ignorabat) contractam à me emptionem abſolutam habere iuſtitiæ rationem, aliorumq; ſententias me perquirere, vt viderem ſi quid ſolidi contra me ab alijs excogitari poſſet; contrarium omnino egit, & ex meis literis ſtimulum conſcientiæ collegit, quē ſcriptis publicis me ignaro cōtra me obiecit, quia forte validiora contra veritatem ſcribenti argumenta non ſuppetebant: at ſatius erat nullam mearum literarum mentionem facere, quia inde omnis ei ſcribendi eo modo, quo ſcripſit, iuſta aufertur excuſatio: ad me enim propter literas illas ſecreto, non contra me publicè ſcribendum erat: neq; argumenta inde, quibus me impeteret, deſumenda erant: quare quòd ad ſui excuſationem affert, id eum hac in re ſummopere accuſat, atq; ita in aſtutia ſua compræhenſus incidit in foueam, quam fecit, & quam mihi in caſum, ſi fortè conquæſtus eſſem, præparauerat. Liquet præterea ex his, quæ diximus, malè illum, & nulla ratione, motū meam facti narrationem Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Summo Pœnitentiario propoſitam carpere

tanquam minus ſinceram, & cui aliqua neceſſariò exprimenda deeſſent. Manifeſtum eſt etiam in hoc facto, de quo agimus, nullum omnino conſtituendum eſſe diſcrimen inter forum exterius, & conſcientiæ, cum in aperta veritate verſemur: Patet etiam nullum omnino in D. Petro Camillo, poſt contractam à me emptionem Senatus Excellentiſſimi authoritate, manere naturalis obligationis vinculum ex eo, quod contra legis, & teſtatoris expreſſam prohibitionem cum fratribus Baratis egerat, neq; reſtituendi aliquam obligationem inde ortam eſſe. Clarum eſt etiam ea quæ pro ſua ſententia afferebat D. Doctor, quibus comprobari videtur, in ſui præiudicium vendentem contra prohibitionem legis, aut teſtatoris vendere poſſe, nullo modo ſententiam ipſius comprobare: neq; quod de conſenſu ſubſtitutorum affert, ad rem noſtram facere, cum in ea prohibitione verſemur, quæ facta eſt ex cauſa teſtatoris, non hæredis, aut ſubſtitutorum fauorem reſpiciente: Neq; minus manifeſtum eſt Dominum Doctorem in eo à veritate aberrare, quod in facto, de quo agimus, dicit regulam illam deſumptam ex c. Veniemes de Iureiur. & c. Conſtitutus. de Reſcript. qua in quolibet iuramento intelligitur excepta authoritas ſuperioris intelligendam eſſe de ſuperiore quò ad actum iurandi, non quò ad materiam, de qua iuramentum præſtatur, & in eo quod non diſtinguit inter

ter iuramenti irritationem, & diſpenſationem, & quàm male inde intulerit D. Petrum Camillum peccaſſe, & obnoxium eſſe reſtitutioni, meq; tanquàm cooperantem, vel etiam non prohibentem, eiuſdem criminis fuiſſe participem; multiſq; modis contra diuinam legem peccaſſe. Quæ omnia cum ſinceritate, & ſoliditate vacua, detractionis verò plena vidiſſem, non mihi ſatis conſtitutum erat quid in hac re agendum eſſet: cum enim dicat Sapiens: Tempus eſſe tacendi; & tempus loquendi; ſilentij ne, an ſermonis tempus eſſet, aliquantulum excogitaui: illud tandem uiſum eſt expedire, ne ſilentio viderer crimẽ agnoſcere, q; infirmæ eſſent rões eius his ſcriptis oſtendere: quod an præſtiterim, aliorum potius, quam meum ſit iudicium: Mihi quidem (vt ingenuè fatear) nihil in ſcriptis illius ſolidi; nihil, quod ad ſententiam illius validè comprobandam faceret, viſum eſt inuenire; imò nonnulla apertè falſa reperi, quæ ſuo loco ſingula indicanda curaui: Quòd ſi ego veri quippiam hac in re dixi, & verè quàm à ueritate aberret D. Doctor oſtendi; nihil mihi aliud ex hoc optandum duxi, niſi vt errore cognito reſipiſcat, & rationibus omni ſoliditate carentibus oues à proprio paſtore non abducat, & quantum prædictis fratribus, quorum animis hæc ſcripta non mediocriter obfuerunt, inualidis rationibus abſtulit; tantundem eiſdem veritate cognita, & detecta, reſtituat.

GVARNERIVS EPISCOPVS ALEXANDRINVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATA CORRIGENDA

Fol.	Pag.	Linea	Errata	ſic Corrige
2.	1.	5.	*ommiſſa,*	*omiſſa*
4.	1.	12.	*adhibent*	*adhibuerunt*
4.	2.	13.	*ledendæ*	*lædendæ*
4.	2.	16.	*præcæteris*	*præ cæteris*
5.	1.	9.	*quamuis*	*quanuis*
5.	2.	4.	*queſtionem*	*quæſtionem*
5.	2.	11.	*ommitteretur*	*omitteretur*
5.	2.	27.	*inmaginationibus*	*imaginationibus*
7	1.	16.	*Rogationum*	*Rogatianum*
7.	2.	13.	*quamuis*	*quanuis*
10.	1.	24.	*ijs*	*his*
11.	2.	2.	*eſſentiali*	*eſſentiale*
12.	2.	3.	*precio*	*pretio*
13.	2.	18.	*nihilomiuus*	*nihilominus*
15.	2.	7.	*proemio*	*proœmio*
16.	2.	13.	*ordinatione*	*ordinationi*

19.	2.	8.	*ijs*	*his*
21.	2.	25	*Fant*	*Fiant*
26.	2.	10.	*omn, equod*	*omne, quod*
28.	1.	7.	*odro*	*ordo*
33.	2.	22	*peccuniarum*	*pecuniarum*
34.	2.	9.	*cepta*	*cæpta*
41.	2.	20	*quàm D.*	*an D.*
44.	1.	21.	*ſumpta, adde , & oppoſiti formidinem*	
53.	1.	9.	*Præsbyterũ*	*Presbyterum*
55.	2.	7	*qui acuſ.*	*qui accuſ.*
57.	2.	15.	*politicum*	*polyticum*
57.	2.	20.	*politicas*	*polyticas*
59.	2.	11.	*policitus*	*pollicitus.*

41
BIBLIOTECA